

B
19
12

AB
46 $\frac{19}{H,12}$

M. W.

P. e. 2


00 1/2

2. empf. = 00

Theol. N. 14. 1105.

Henricus de Saxe Sramberg

Et usquam tunc fides fraudum
sunt omnia plena.



450 d.

PAEDOLO

GIA PETRI MOSELLANI

*Protegensis in puerorum usum
conscripta & aucta.*

DIALOGI XXXVII.

DIALOGI

PVERILES CHRISTOPHORI

*Hegendorphini XII. lepidi
& ac docti.*

PETRVS MOSELLANVS, IOAN
ni Polyandro Lipsiæ apud diuum Tho=
mam Ludimagistro suo. S.

Es tu quidem mi Ioannes iam annos multos re ipsa
expertus, quanta cum difficultate, & q̄ sero, infir=
ma puerorum etas, ad latinatatis antiquæ imitationē
perueniat. Nam cum post prima rei grammaticæ ru=
dimenta tenera ingenia statim ad latini sermonis usum
adigantur, nec tamen ulla eis uia ad hanc rem demon=
stretur, fit, ut dum utaq; quod iubentur, præstare co=
nantur, nouam quandam loquēdi rationem, plane bar=
baram, et per uernaculi sermonis uestigia ingredien=
tem, inter se sibi ipsi confingant. Quod uitium rudi=
bus animis, & per hoc tenacioribus primum impres=
sum, postea nulla arte deleri potest. Atq; hæc causa
mihi uidetur, quod non Germani solum, sed & Itali, q̄
nobis hac parte feliciores uideri uolunt, sermone quoti=
diano immundo adeo & parum proprio, utuntur. Vi=
deas enim bonam partem eorum, qui hodie linguam
latinam profitentur, in loquendo nihil minus spirare
q̄ natuum illum, et incorruptū Romani sermonis odo=
rem. Ut candidissimæ eloquentiæ scriptor Fabius, de ex=
temporali orationis facultate frustra scripsisse uidea=
tur. Quid? quod hoc malum grauioris etiā etatis p̄fe=
ctibus omnem aufert gratiā? Alioqui qua causa male
audiunt apud Quintilianū, & itē Gelliū ὁ ἰμπεριεῖς.

nisi quod à teneris, ut aiunt, unguiculis, optimis nō sunt
adsueti. Obuia quæq; in authoribus àtra delectum, in
suum usum cōuertunt, ut dictio eorum omnis, nō pro
pria & domi suæ nata, sed è uarijs scriptoribus, hostia
tim quasi mendicando congesta delicati iudicij hoībus
non possit nō putere. Hæc quum tu non minus acute q̄
grauiter perpenderes, nihilq; haberes potius, q̄ pue
rorum, qui tuæ fidei sunt concrediti, rudem & ad oīa
sequacem animum ad optima quæq; perducere, mecū
egisti sæpe, ut loquendi formulas aliquot, quibus ea
ætas uti posset, conscriberem. Dū, ut nosti, sum relucta
tus, partim quod ipse grauioribus occupatus, hāc ope
ram utilissimam quidem illam, sed in spēdem tamē hu
mīlem, & penē sordidam dedignarer, partim quod,
quia in ludis eiusmodi ipse non admodum essem uersa
tus, uix possem eam quasi personam cum decoro gere
re. Videbam. n. ad hanc fabulam agendam opus fore
denuo reperascere, & ut ait Flaccus, Ludere par im
par, equitare in arundine longa. Sed, cum tu rogandē
finem faceres nullum, pariterq; te, qui probe puerorū
sensum calleres, si qua nobis hac arte deessent, supple
turum pmitteres, uolui quāuis calumniā subire potius,
q̄ uel tibi amico tum sinceriter amanti, tum prudenter
roganti, quicquam negare, uel meo pudore publicum
pueritiæ commodum diutius remorari. Iam si quis est,
qui uehementer putet indignum, has, sicuti prima

fronte uidentur, nugas, in chartarum perniciem scri-
bi, is mihi uirū paulisper exuat, & in puerum redeat
cogitetq; iā primū sibi latini sermonis usum discendū.
Statim opinor, uidebit, q̄ facile, & nullo penē negotio
per eiusmodi fabulas, uelut quosdā gradus, ad Terētij
propriatē, ac Ciceronianā faalitatē prima illa ætas
traduā potuisset. Quis aut̄ laturus esset, imō q̄ nō sta-
tim exhibilaturus, si ex puerili p̄sona tetricam istā senū
sapientiā sonarē? Tametsi sunt his nugamentis nostris
admista q̄dam, q̄ seria ducere uideri possint, vsq; adeo
ut et hoc noīe ab Aristarchis istis uix tut⁹ sum futurus.
Sed malui ego decori paulisper oblitus, pauca subin-
de aspergere, q̄ si pueris suis literatores prælegant at-
tente, queant cum studiorū abusum tollere, tum pueri-
tæ mores ad Christianā regulam corrigere. Hos la-
bores tibi mi Polyander, dicere uolui nominatim, ut q̄
author nobis & adiutor ad hæc scribenda fuisti, idem
quoq; suscipias, quicquid id est libelli, tua facundia, au-
thoritate ac gratia tuendum. Quod si ex hac æditiōe
ad te impulsorē, & me scriptorē, aut nulla, aut tenuis
admodū gloria redibit, solemur nos ipsi p̄ hoc, quod
nullo popularis auræ pruritu, sed pio & simplicia aīo,
uterq; nostrum hoc negotium tractauimus, tu adhor-
tanūo ego scribendo. Siquidē iuuare studuimus saltē
aliquos, nocere nemini. Bene uale. Lipsiæ, ipsis ferijs
d̄ni Matthæi apostoli. Anno M. D. XVII.

DIALOGVS

PRIMVS.

GASPAR ET MODESTVS,
de nundinis fabulantur. GAS.



GE VERO MODESTE, quot dies hic absunt nundinarum feria, quibus frequentes adeo huc peregrini adueniunt mercatores?

MODES. Dies, ni fallor, quattuordecim, nam accurate singulas penè horas ad calculum uoco, siquidem nullum tempus totius anni ac pidius expecto, quàm nundinarum. GAS. Non iniuria quãdoquidem hæ feriae partim nundios, partim literas, partim omnibus literis gratiores pecunias, nobis apportant. Quod si non & mihi iam planè exhausto, proximæ nundinæ argenti subsidium attulerint, nõ potero hic diutius durare. MODES. Pecunias quidem, id quod satis scio, accipiam nullas, pannum tamen in uestem hybernam, se discedenti mihi missurum promisit pater. GAS. Vtinã uterq; uoti cõpos fiat, ut & tu cõmodius uestitus, & ego numator, urgentis hyemis iniurias minori negoãio ppulsare queamus.

A iij

M O S E L L A N I

DIALOGVS. II.

OSVVALDVS ET MICHAEL.

De natali celebrando, de receptis pecunijs, deq; bono cuiusq; genio.

Non tu hodie tuū natalem celebras, atq; nos tuos sodales conuiuio exapis? An ignoras hunc diē diuo Michaëli, cuius tu nomen refers, esse sacrum?

MICHA. Sāo equidem, quid autem facerem, quando ne obulum quidem habeo quo panem emere queam, nedū conuiuia agitare? OSVVAL. Non his nundinis à parentibus tibi numi sunt missi? MICH. Sunt utiq; sed ante nundinarum exitum è mercatore, qui literas modo dedit, extorquere possum nihil, ait. n. sibi in tanto hominum strepitu, oāum ad numerandas pecunias non esse, alioqui, non modo natalem meum conuiuio exaperem, sed & genio bono (quem angelum dicimus) peculiari aliqua hilaritate gratificarer. OS. Itaq; Terentiano illo satis excusati sumus. Vt quimus, aiunt, quando, ut uolumus, non licet.

DIALOGVS III.

PETRVS, ET PAVLVS. DE RE=

ditu in patriā, de literis à parentibus acceptis, deq; missione flagitanda

Salue mi Paule. PAV. Et tu sodalium iuandisti? Sme Petre, Sed quid adeo es tristis? nam ex quo cō

D I A L O G I

munia studia, idemq; hic ludus, mutua nos familiaritate iunxerunt, vultu alacri, & festiuo mihi semper es usus. Vt ex his, quos hic habet ludus, fuerit nemo, qui non te familiariter uti concupiuerit, nunc nescio quomodo, alius uideris. PET. Et mirum tibi uidetur, si vultu sum tristi, cum eiusmodi quiddam mihi accidat, quod studiorum meorum progressum non parum queat remorari. PAV. Quid illud quaeso? Nam graue aliquid sit oportet, quod te adolescentem constantem a studijs deducat. PE. Dicam paucis. Iam annus ferme est, ex quo Ludi huius nostri celebritate exatus, huc ad capiendum ingenij cultum concessi, quo tempore studiorum meorum uix rationem inueni, cum mihi e patria offeruntur literae, quae me domum, quasi ex medio studiorum cursu reuocant. Et quod me omnium maxime male habet, reditus mei causas non edunt. Ne scire possim, an huc tandem liceat remigrare. PAV. Qui scis, an ad fortunam aliquam auoceris? PE. Nulla mihi fortuna potest inadere tanta, cuius respectu literas queam posthabere. PAV. At parentibus est obsequendum. PE. Hoc illud est quod me mouet, quod me hinc domum extrudit: Alioqui, tamen si non tantum est aeris, quo hanc hyemem transmittere queam, tamen praestudiorum amore uictum mendicando hostiatim quaeritarem. PAV. Non antequam hinc abeas, nunquam forsitan rediturus, conuiuium

M O S E L L A N I

inter nos agitabimus? PETR. Conuiuia agitare
 qui ad suppellectilis meae sarcinam componendam uix
 tempus habeo? Imò, iam recta ad Ludimagistrum per
 go, missionem efflagitaturus, quam ubi fuero consecu-
 tus, cōterraneorū meorū literis, quas ad parētes suos
 mihi dabunt, acceptis, statim iter ingrediar. Quare re-
 ctissime uale mi Paule, mutuae nostrae consuetudinis me-
 mor. Quod si quando dabitur oāum, fac de studiorum
 tuorum ratione, & ludi huius statu me literis tuis certio-
 rem reddas. PAV. Faciam sedulo mi Petre, & lu-
 bens qdem. Sed heus tu. PE. Quid est? PAV. Con-
 terraneos tuos quorum consuetudo dum hic erant,
 utriq; nostrum erat grata, meo nomine diligenter salu-
 tes uelim. PE. Sat est, faciam.

DIALOGVS III.

De conueniendo praeceptore, missione impetranda,
 deq; gratijs praeceptori agendis.

PANDVLVS, ET PETRVS. PAN.

Q Vis es, qui trepide adeo pulsas hostium? En Pe-
 tre tun pulsasti? PE. Pulsau. PANDV. Sed
 qua gratta huc intromitti postulas, nō ut
 magistrum conuenias? PE. Maxime, si est intus, ha-
 beo quod cum eo agam ipse. PAN. Est intus, Sed
 mane paulisper, dum huc tibi renuncio, an hoc tempo-
 ris articulo, ei te audire uacet. Here, scholasticus quis

D I A L O G I.

piam foris expectat, qui, si non sit molestum, cupit te de re quapiam conuenire. LVDI. Quum huc adest. PAN. Iam iam adert. PET. Salue praeceptor optime. Auocor hinc in patriam serijs parentum meorū literis, & si non auocarer, ipsa tamen æris egestas, & item nuditas domum abigere me possent. Itaq; gratias ago tibi immortales obseruandissime praeceptor, quod me primum intuan disciplinam humanissime recipere dignatus es, deinde ex quo tuæ scholæ fui sectator, & fideliter, & accurate tam literis bonis, quàm rectis moribus expolire studuisti. Porro, quia, ut dixi, non amplius hic morari licet, quàm possum amanter oro, ut qua humanitate me hæctenus tractasti, eadem & migrandi potestatem concedas. Etenim, si modo id pæe fiet tua, cras prima luce iter sumus ingressuri. LVDI. Siquid scia quod gratum sit adolescentens studiose, hoc totum non mihi, sed praeceptoris officio seres acceptum. Cæterum, quando te hinc parentum literis auocari dicis, abi me permittente bonis auibus quocunq; te uel parentes uocant, uel rectius forsitan consilium hortatur. PET. Sed illac quæ iter sum facturus, amicisne aliquos habes, quos literis salutare cupias? quandoquidem ipse perferendi onus in me lubens recipio. LVDI. Non admodum, & ut maxime haberem, tot tamen alijs negocijs in presentia districto, scribere non uacaret. Quare tu,

A V

M O S E L L A N I

quod ad literas attinet securus, iter destinatum, quando
lubet, capeſſe. PET. Bene uale.

DIALOGVS V.

De excipiendis ſcholasticis aliunde aduenientibus,
deq; Græcæ literaturæ rudimentis in prima
etate addiſcendis.

MARCVS ET IOANNES

VNde nobis aduenis mi Ioannes? aut quo animo
huc ad nos es profectus? Neq; enim opinor lu-
di huius gratia uenis, qui ante tot meis, atq; item alio-
rum literis inuitatus, huc pertrahi non potuiſti.

IOAN. Imò hac ipſa cauſa adſum. MAR. Vt cūq;
ſit gaudeo te feſtiuiſſimum ſodalem nobis redditum.
Et hic aduentus tuus, non mihi ſolum, ſed omnibus qui
te norunt optatus eſt. Sed enim aperias oro, quid-
nam ſit illud, quod te tandem huc allexerit. IO. Vis
ſare? MAR. Volo. IOAN. Audies, Quum pri-
mum puber factus, grauiori paulo cura præceptorem
ſcriptores Latinos prælegentem audire cœpiſſem, ſub
inde Græculæ aliquot uoces nobis occurrebant, Quo
loco, præceptor ſuo munere egregie ſe putabat per-
fungi, quoties obiter tantum admoneret, eſſe ea græcæ
perinde ac ſi peregrina, ad nos nihil attinerent. Hic
quid alijs audientibus in mentem uenerit, neſcio, equi-
dem ſic cogitabam, ſi ad nos hæc non pertinent, ut nec

D I A L O G I.

cognita doctum, nec incognita imperitū reddant, cur non ex libris, tanquam offendicula quaedam, penitus eradimus? Deinde mirabar ueterum scriptorum penē omnium curiositatem, qui non solum magna cura peregrinas istas nugas didicissent, sed & libris suis, uelut maculas quasdam inspersissent. Postremo quanquam à præceptore libere dissentire erat religio, tamen cum audirem esse uiros graues multos, qui has, sicuti tum putabatur, nugas amplecterentur, profiterenturq; paulatim circumspicere cœpi, utrum credere malle magistrum ne meum potius ignorantia labi, an totam semel antiquitatē, & ex recentioribus optimos quosq; pueriliter delirare. Itaq; sic mihi inter hæc fluctuanti, & in quam partem inclinarem hæsitanti, forte fortuna cecidit, ut Marci Tullij Ciceronis libros de Officijs enarrandos præceptor susciperet, in cuius lectionis ingressu statim in ipsa præfatione grauisimus ille, & philosophus & orator, unico filio suo suadet, ut Græcæ cum Latinis coniungat, quo par sit in utriusq; orationis facultate, hoc ubi, præceptore dissimulante, mihi arripuissem, grauius dolere cœpi, negatam nobis occasionem eas literas discendi, quarum studium si essent inutiles, nec laudaret COS. RO. nec filio unico iniungeret prudentissimus pater. MARC. Iam uideo quò tendas. IO. Mane, nondum omnia habes. Cum hæc subiratus mecū agitarem, ecce rumor apud

M O S E L L A N I

nos increbrescit, in hanc laudatissimam Academiam
Principis munificentia accersitos, qui publicæ græcæ li-
teras doceant, & ex eorum uelut fontibus nonnihil
quoq; in ludum literarium deriuari. Hæc fama partim
literis, partim commeantibus confirmata illinc me utri-
usq; eruditionis cupidum exauit, & huc appulit. Ha-
bes cur aduenerim, nimirum ut in hoc uestro ludo &
græcæ linguæ elementa saltem liceat perapere.

MAR. Dubio procul uoti compos eris, neq; aliquo
aliò felicius te conferre potuisses, adeo hic omnia no-
bis sunt commoda. Denuq; quod peculiariter ad rem
pertinet, ludus, si quisquam alibi, instructissimus.

IO. Sed quando satis fabulati sumus, hanc operam
non negabis, opinor, ut me ad ludi moderatorem dedu-
cas, siquidem iam statim nomen in hanc literariam mi-
littam dare sum paratus. MAR. Faciam ac lubens,
tu me sequere.

DIALOGVS VI.

De recipiendis in disciplinam scholasticis.

MARCVS, LVDIMAGISTER,
ET IOANNES.

EN tibi præceptor optime, adduco hic quendam,
cum quo iam annos aliquot mihi fuit familiarita-
tas, hominem bonum & studiosum. Is tui ludi fama ex-
atus huc appulit. Quare magnæ felicitatis loco ducet,

D I A L O G I.

si se in tuorum gregem reāpere dignatus fueris. ?

LVDI. Adolescens bone, quod tibi est nomen ?

IO. Est mihi nomen Ioannes. LVDI. Faustum planè nomen es sortitus, quippe hoc Hebræis à gratta dicitur. Quamobrem summa ope tibi est enutendum, ut tam gratiosi nominis expectationi, pro tua uirili, respondeas. IO. Equidè pro uiribus sedulo dabo operam, teq; in hoc mihi adiutorè fore spero. LVD. Sed & ipsa corporis tui facies aīum subesse ostendit, q neq; à literis, neq; uirtutibus abhorreat, adco, ut si fortiter egeris, & de te diā demū possit illud, Grator est pulchro ueniens è corpore uirtus. Quo libētius te in meā disciplinā reāpio, si mō das fidē te boni discipuli officio apud me functurū. IO. Do fidē me in oībus qd' rectum erit, quodq; tu iusseris facturū. LVDI. Ita spero qdem. Sed quæ tibi est patria? ut in rationariū hoc quoq; adscribam. IO. Patria mihi est Auba, opidum Françie orientalis, nō procul ab Herbipoli, & lebrī sacerdotum sede, situm. LVDI. Sat habeo, qd' superest, curabitur tibi pro tua sorte cōmoditateq; domiciliū. Ac tu qdem in eo sic te gere, ne aliqua macula hinc in nostrā scholā redundet. IO. Quod ad hāc rem attinet, securus esto optime præceptor, nā, ut in glinum decet, modestissime agā. Nunqd aliud mihi uis in iungere? LVD. Nihil, nā si qd superest tibi præstandum, quotidie inter prælegendum à nobis dicitur.

M O S E L L A N I

DIALOGVS VII.

De domiālio commodo, atq; incommodo, deq;
paupertate, ac opulētia scholasticorum.

IOSEPHVS, ET CLEANTHES.

Quid agitur mi Cleāthes? Contigit ne tibi com-
moda habitandi ratio? aut adhuc incertis se-
dibus oberras? CLE. Contigit qui-
dem habitaculum, sed eius commoditas tanta non est,
quantam fore speravi, siquidem spes erat fore, ut aui-
alicuius beneficio unā cum domiālio & uictum qua-
lem auiq; nana scerer, uerum multo aliter euenit. Nam
uix impetrare potui, ut pro Locario statuto mihi angu-
lus in ludo locaretur, uictum uero, quando pecuniae est
parum, hostiatim emendicari oportebit, nisi forte me-
lior mihi fortuna posthac obuenerit. Tu autem felix
es mi Iosephe, cui parentes tantum sumptum suppedi-
tare sufficiunt, quantum ad studiorum commoditatem
est satis. IOSE. Est, dijs gratia, unde haec cōmoda
mihi parem, sed quo plura mihi sunt ad disciplinas pa-
randas cōmoda, eo ipso grauiori dignus essem odio,
si non plus q̄ uestrum quispiam didicero. Attamē nec
uos de mediocri studiorum uestrorū profectu despe-
rare deat, quando quidē, constat, multos humili natos
loco, ad haec nullis oīno fortunae dotibus adiutos ad
eruditōis fastigium ascendisse. An nō Democritus ille
physicus, ex baiulo factus est philosophus? Non Cle

D I A L O G I.

anthes, cuius tu nomen refers, aquis noctu hauriendis diurnum uictum sibi quasiuit? & quē Stoicum hic nō æquauit? Sed & Plautus inter ipsos pristinae molestos labores laudatissimas illas comoedias conscripsit.

CLE. His & eiusmodi alijs exemplis animatus in studijs perseuero, alioqui me iam pridem ad manuarium aliquod artificium transtulissem. Quanq̄ sunt mei ordinis pleriq; adolescentes in ludis magis putrescentes, q̄ studentes, adeo infelici ingenio, ut ad nullas literas sint appositi, hi mihi nulli alijs usui esse uidentur in ciuitatibus, quàm quod alios mendicos, dum eis panem præripiunt, ex urbibus pellunt, ijs ego consulerem, ut se ad aliquod aliud studium applicarent. IOSE. Probe dicis mi Cleāthes, nā si oēs eiusmodi essent ingenio præditi, quali tu, fouendos modis oibus putarē. Certe, qd' ad te attinet, spero propediē tibi meliorē fore conditionem, nempe ut apud ciuem quempiam, cui non nunq̄ inseruias, oēm studiorū cōmoditatē sis habiturus.

CLE. Vtinam deus ita faxit. IOSE. Faxit, ne dubitata, & in hoc, mea cōmendatione iuuabere.

DIALOGVS VIII.

ANDREAS, AC PHILIPPVS.

De uindemia & auupio loquuntur.

V Tinam mi Philippe iam domū apud parētes ageremus. PHILIP. Quid ita? ANDRE. Ro-

M O S E L L A N I

gas? imminet iam uindemiæ tempus, quo nullum toto anno nostratibus accidit lætius. PHI. Quid ego audio? tunc simul uinutorem uis agere, & literarum cultorem? AN. Animi causa racemos decerperemus, degustaremus è lacu mustum, neq; enim diutius abesse optarem, quàm mustum in dolia conditum deferbuisset, de spumassetq; adhæc decoqueremus saram, defrutum, ac uini ueteris fecem. Quid? q; nobis liceret & auapio uoluptatem quærere, siquidē uolucres captarem iā retibus explicatis, iam pedicis fixis, nonnunq; uero & uiminibus uisco illitis. PHIL. Sine parentes harum rerum curam gerant, tu si sapis, in literis te oblecta. AND. Atqui audiui magnos uiros in eiusmodi rusticis rebus oblectationem quæsiuisse. PHI. Recte, quando magnis uiris hæc sunt permittenda, nobis uero, qui nōdum ultra primas literas progressi sumus, non itidem. AND. Semper tu quidem meis affectibus obstrepis, non minus, quàm præceptor. PHIL. Quod ad me attinet, age, age, ut lubet, me certe non habebis huus tuæ stulticiæ comitem.

DIALOGVS IX.

THOMAS ET HIERONYMVS
De authoribus proximo semestri in
schola prælegendis.

Quid est

D I A L O G I.

Quid est quod illac uenis Hieronyme, aut ubi fuisti? HIE. Redeo à præceptore eo, qui à Iuda magistro primas tenet. THO. Age, quid is narrat de authoribus hoc semestri prælegēdis, iam enim sicut opinor, eorum delectum habuerunt. HIERO. Habuerunt, idq; sicut diu audio, prudenter, nam præter utriusq; linguæ rudimenta, ex Fabij præscripto coniunctim tradenda, primum Terentianas comœdias exponendas susceperunt, quod hic scriptor ex Latinis penè solus Romani sermonis natuam, & genuinam proprietatem retineat, adeo ut nec M. Tullium, oratorum primapem puduerit ad huius exemplum orationes suas formare, deinde M. Tullij officia, quod is liber non linguam solum eloquentia poliat, sed & pectus rectis moribus instruat, unde & Plinij iudicio non legendus, sed ad uerbum sit ediscendus. Postremo aliquot Vergilianæ poëmatis libri exponentur, nempe, ut Augustini iudicio, optimus poëta teneris animis infixus, in omnem usq; uitam hæreat. Ad hæc, quando parum est æquum Christianos in gentiliū libris esse totos, eis diebus, quibus ferias agimus, elegantissimos simul, & grauissimos hymnos Aurelij Prudentij, grauis, & sancti uiri audiemus, aut si displiceant, Enchiridion militis Christiani, ab Erasmo Roterodamo accuratissime elaboratum. Quæ si (ut spero) & pro suo officio explicarint accurate præceptores, & nos pari dilige-

B

M O S E L L A N I

gentia exceperimus, non opinor male hoc semestre nobis fore collocatum. THO. Non iniuria hunc laudant delectum mi Hieronyme, neq; enim unquam eorum mihi placuit institutum, qui his, & id genus alijs optimis scriptoribus posthabitis, in Apuleio, Capella, & eius farinae authoribus ceteris, bonas horas male collocant, qui scriptores Ciceroniana eloquentia non contenti, sibi solis nouam dicendi rationem inuenerunt, quasi non summum sit orationis uitium, à communi dicendi consuetudine abhorrere. Nam q̄ atrā delectum Catullos, Tibullos, Martiales, & huiusmodi enarrant, & per hoc discipulos peregrina et prodigiosa docēt uita, hi mihi non uerbis, sed uerberibus coercendi uidentur. Hi enim sunt illi poetae, quos solos è republica sua pellendos statuit Plato. Atq; hæc non ex me dico, sed quod sic censes auduerim doctissimos pariter, & integerrimos uiros. HIER. Recte ergo facit ludus noster magister, qui eiusmodi nihil in scholam suam irrepere sinat. Sed ego iam recta, hinc in bibliopolium concedam, libros de quibus dixi coempturus. THO. Nostim' quanti hæc simul emi possint? HIE. Haud dum lætatus sum: opinor aureo nummo, siquidē audio indicari argenteis uiginti quatuor. THO. Bene habet quod non pluris uenduntur, alioqui, quæ mea est egestas, coemere non sufficissem. HIE. Eamus ergo. THO. Quando uis; in me non est mora.

DIALOGI.

DIALOGVS X.

De relegenda prælectione, de ediscendo, deq; eno-
tandis ex authoribus, loquendi formulis.

PHEDRVS, & ætate, & eruditione maior:
cum fratre suo IOANNE loquitur.

Quid tu oiosus hic desides, & non potius præle-
ctionem modo auditam, relegis? IO. Relegi
atq; adeo bis terue. PHE. At fortasse nõ
satis accurate. IO. Accuratissime, ut totã etiam memo-
ria complectar. PHE. An tuo te officio satis pfun-
ctum credis, si memoria tantũ teneas, & Psitacã more
uerba non intellecta præceptoris reddas? IO. Quin
intelligo omnia. PHE. Hui omnia? uide quid dicas.
IO. Omnia inquam, ut maxime tibi uideatur incredi-
bile, atq; id ut credas faalius, liberum tibi est, singula
quæ ad modo auditam prælectionem attinent, ex me
pquirere. PHE. Singula psequi in præsentia nõ est
oium, hoc tantum quero, Primum, An totam autho-
ris sententiam, ex præceptoris interpretatione sis asse-
cutus, & qua quidq; ratione quõue consilio sit dictũ in-
telligas. Deinde singulas ne clausulas expenderis. Vi-
delicet si quã habeant sententiã insignem, si quod pro-
uerbium, si quod $\chi\mu\alpha$, si quẽ tropũ, si quẽ colorem
rhetoricum, si quem locum dialecticum, si quas uenu-
ste loquendi formulas, quæ oia enotare operæ præda-
um est, partim ut sit i promptu semper, quo mores no-

M O S E L L A N I .

stros pariter & alienos corrigamus, partim ut ex idoneis scriptoribus suppetant recte loquendi scribendiq; exempla ad quæ crassissima illa hodie barbarissantiū loquendi consuetudine posthabita, orationem nostrā componere queamus. Postremo si quod dictum antiq; si quod noue, quod loquendo: si quod parum Christiane, quod uiuendo exprimere non conueniat. Hæc magister tuus, uir non solum doctus, sed & prudens inter prælegendum diligenter admonere solet, & ipse eiusmodi, cum id ætatis eram in scholis non osatanter excerpta domum regressus, partim memoriæ, partim chartis fidis memoriæ custodibus commendabam. Sensi nanq; hac diligentia me uehementer proficere. Quod si fratris uestigijs insisteres, idemq; faceres, iam certe nõ hic, sed libris adsideres. IO. Nimis multa in puero requiris. Equidem ut quod uerum est, tibi respondeã, in his, quæ tu mones exponenda, pleriq; omnes sumus negligentiores. Nimirum cõtenti singularum dictionũ, quæ in contextu reperiuntur respectum habuisse, uide licet quam ex octo orationis partibus habeant pro genere, quæ sint accidentia, cuius generis, simplicia sint an composita, in quam cadant declinationem. Itẽ quæ partium sit inter sese constructio. PHE. Recte, sed et illa non oportet negligere. Alioqui nõ uideo quid referat Terentium, Ciceronem, Vergilium, & similes tanta cura sine fine tractari, si non inde aliquid quod uel ad

DIALOGI.

recte uiuendi rationem, uel dicendi facultatem faciat, cōsequamur. Ipse certe eam lectionem, ex qua auditorum imitationi nihil accedit, nullam puto. Tantum abest, ut istos probem qui scriptorum sensum exposuisse utcūq; contenti, nullam imitandi uia disipulis commonstrāt. Tu uero quando præceptorem nactus es doctum & fidum, fac eius tum doctrinæ, tum fidei, diligentia tua respondeas. IO. Dabo operam sedulo, ne quod ad hanc rem attinet, iure me posthac obiurgare queas. Sed iam .xij. horæ signum auditur, quare hinc ocyus in ludum contendam.

DIALOGVS. XI.

Complectens formulas loquendi de ferijs.

STEPHANVS ET LAURENTIUS.

Quem aiunt hodie apud populum in templo nostro concionaturum mi Laurenti? LAV. Audio quempiam è monachis in suggestum proditurū. STE. Miror non insignem aliquem theologum ei negotio adhiberi, maxime, cum ingens hominum turba hodie in hanc ædem confluat, propterea quod sacrificus quidam nuper in sacerdotum ordinē assumptus, primum sacra faciet. LAV. Et mihi mirum uidetur, quanq̄ quod ad me attinet, uellem concio q̄ breuissima haberetur. Etenim iam nunc uehementer esurio biduano iam penè ieiunio maceratus. Nam his diebus quibus à carnibus abstinetur, nunq̄ ab eo recte

B iij

M O S E L L A N I

fatur. STEPH. *Duas adhuc horas edendi auiditas tibi est reprimenda, siquidem præter condonem, quæ horam posat, scis quantum tuis in summo sacrificio Choraula sibi sumat, quæ etiã penè superant hæ nostræ cantiones supra modum prolixæ.* LAV. *Male sit istis, qui harum rerum nobis sunt authores. Ipse certe statim, ubi peractum fuerit sacrum, ad diuitum ostia citato adeo cursu contendam, ut si non in primis, secundis saltem, & tertijs stipem accipiam.* STE. *Sed me uix antevertes.* LAV. *Res ipsa indicabit.*

DIALOGVS. XII.

CLEMENS, ET REMIGIVS.

De die à ferijs secundo, quem Martis uocant, confabulantur.

VAe nobis mi Remigi, ultra præscriptum dormi uimus. Iam n. sol undiq; plena lucæ resplēdet, ut septimæ horæ signū datū liceat conijcere. RE. Non opinor, coelū alioqui præter morē est serenū, etiamsi aliàs hoc die somnolentiæ meæ pœnas non raro dedi. CLE. Utanq; sit, male metuo mihi à ferula, quare occasionem aliquam, qua hodie è scholis emanere liceat, queram. REMI. Quam eam? CLE. Scis quid à nobis heri contenderit hera nostra? RE. Sào, nēpe ut familiã hauriendis aquis iuuenus. Sed qd tum? CLE. Hæc erit rima satis idonea p quam elabamur.

DIALOGI.

quamobrem tuum erit ubi octavae signum auditum fuerit, quasi e medijs laboribus in ludum ingredi, aq; praceptoribus emanendi copia poscere, hac ipsa qua dixi causa assignata. RE. Vereor ut procedat commentum, quandoquidem hoc die quo funus magnificum est deducendum, & defuncti manibus parentandum vix facultatem hanc dabit, & alioqui pauci iam adsunt qui pompam instruant. CLE. Tentandum est, utcumque res exeat, ac nescio quomodo hac die mihi semper inuisum est scholas adire, non minus quam si in pistrinum aliquod mihi sit redeundum. Credo quod pridiani oculi sensus adhuc reliquus sic reluctantem faciat.

DIALOGVS XIII.

BVRCHARDVS, ET ALBINVS.

De nuptijs, balneis, ac uiscerationibus.

Nuptias hodie futuras aiunt Albine, tu quippiam ea de re audisti? ALBI. Audui. BVR. Danda est opera, ut & nos e nuptialibus abis aliquid acquiramus. ALBI. Quod ad cibum attinet, hodie nihil moror, heri enim mihi prospexi, unde hunc diem commode liceat transigere, sed quod a prandio saltationem in theatro spectare non possum, hoc uero est, quod me male habet. BVR. At quid uetat, quo minus spectes? AL. Ignoras forsitan in hunc diem nobis per cuiuspiam beneficium balneas gratuito conductas, a quibus abesse saltationis

M O S E L L A N I

Spectandæ studio, an tu putas fore consultū? BVR. Vi
de nisi submonuisses, egregie fuisset oblitus, neq; uenisset
in mentem uiscerationis, quæ & ipsa in hodiernū
diem est constituta. Valeant nuptiæ cū sponso, ac spon
sa, nos quæ propius ad nos pertinent, curemus.

DIALOGVS. XIII.

XYSTVS ET ALEXANDER.

De ingenij præstantia contendunt.

Felix tu quidem es mi Alexander, cui ingenium tam
secundum, tamq; pspicax contigit. ALEX. Est
nobis Christo deo gratia, non oīno infelix, sed tamen
non tantum, quàm forsā tibi uidetur. Fit enim, nescio
quomodo, ut nostri nosmet poeniteat, aliena ferè suspi
ciamus. XYST. Et tu quantum audio, aliquid insu
per desyderas. ALEX. Quid ni? quando memoriā
mihi sentio omnino fluxam, & parum tenacem, nam,
ut facile quæ traduntur perapio, ita non sine maximo
negotio percepta retineo. XYST. At ego difficulter
intelligo, uerum semel intellecta, diutissime reseruo, &
ut uideo, tibi cereum est ingenium, mihi uero saxewm.
Cereæ quiduis facile impresseris, at impressum uestigiū
statim euanesat, saxo tametsi quid non sine labore in
sculpitur, semel tamen insculptum, multis seculis durat.
ALEX. Recte planè confers, sed hoc me male habet,
quod uideas plerosq; ingenio numeris omnibus felias

DIALOGI.

sumo praeditos, at uiaissim moribus adeo turpibus, ut non inepte dixeris eorum ingenua male habitare.

XYST. Credo dicterium hoc uetus esse, & olim de Galba, homine ad prodigium usq; deformi, dictum, sic enim audire commemini. ALEX. Probe, sed nec ipse, opinor, inepte huc detorsi.

DIALOGVS XV.

SERVIVS ET SVLPITIVS.

De signo tintinabulorum, deq;
immodico somno.

Quin surgis Sulpiti? iam tintinabula ultimū dilu-
cularis sacrificij signum dederunt, & non igno-
ras quanta hominum frequentia hoc sa-
crum peragatur, ut flagitium planē sit, nos in tempore
non adesse. SVL. Iam iam surgam, tamen si caput ad-
huc sopore graue sentio, utinam liceret ad satietatem
usq; dormire. Imitarer certe hodie Horatianos illos iu-
uenes, quibus pulchrum uidetur in medios dormire
dies. SER. At ego te diutius nō operior, ne haec mo-
ra mihi plagas lucrifaciat. Ego hinc abeo, tu, quando
lubet sequere, aut tuo periculo dormi. SVL. Iam-
iam te comitabor, ne festina tantopere. SER. Ni-
hil moror, nunc non est nugandi locus, à prandio
uero, ubi pro more nobis à studijs remissio data fue-
rit, nugabimur.

B ▼

M O S E L L A N I

DIALOGVS XVI.

HENRICVS, ET FRIDERICVS.

De ludendi ratione aiunt.

TV nobiscū pila ludes Fridericæ? an cū istis cursu
mauis certare? FRID. Mallem cum uno &
altero iucando sodali deambulātū ire. HEN. Quin
tu ante paulisper pila colludis, postea & nos unā tecū
deābulabimus. FRI. At ego huiusce ludi nō admodū
sum peritus, nā neq; caute pilā mittere, nec missam ma
nu satis certa exāpere sufficō. HEN. Nihil est quod
hac gratia sis solliatus, ipsa rei exercitatio te satis, qd
facto opus sit, admonebit. Quod si hinc modis oībus
abhorres, age ludum minoris negocij, nēpe globularē,
ināpiamus. FRID. Quando ita vultis, non reaso,
tametsi præter risum spectantium nihil me lucraturū
sāo. Siquidē ubi deāes aberraro, uix semel tandem fe
rio, idq; casu magis, quā arte. HEN. Non magni
refert in hoc certamine uincas an uincaris, neq; enim
caput agitur, aut pro pecunia certatur.

DIALOGVS XVII.

IVLIANVS, ET DAMIANVS.

De questionibus commissorum, quæ die uene
ris in ludis exercantur.

Eó noster Damiane, adest rursus dies, quem ego nō
minus nobis nefastum & execrādum puto, quā

D I A L O G I.

olim Romani illum, quo in Cannensi pugna tot Romanorum millia ab Annibale sunt trucidata. DA. Quid ita? Num mali aliquid huic scholæ ex hoc die impendet? IVL. Et tu nescis, præsertim tot annos in ludis uersatus? DAM. Qui scire possum scholæ huius cōsuetudinē nup̄ admodū huc profectus? IV. Quæstiones hodie fiūt in ludo non aliter, q̄ quadā carnificiana. DA. Quid narras? IV. Vera q̄dem, nā de singulis q̄ p̄ totū septimanæ cursum quoquo mō cōsumimus, hodie quisq; p̄ se pœnas dare cogimur. DA. At q̄ scire possunt præceptores, q̄ singuli nos designemus? IVL. Arte quadā oīa expiscantur, ut nihil illis occultum esse possit. DA. Quid ita? Nū diuinationū sunt periti? IV. Minime, sed alia uia eodē pueniunt, nam aliquot clanculum in hoc selectis prouinciā dant, nos suos cōmitones deferendi prodendiq; ut nusquā quicq̄ oīno tuto agere queamus. Semper. n. uerendum, ne quispiā ex eiusmodi Corycæis nos auscultet, & lupus sit in fabula, hoc est, ille ipse nobis ignorantibus adsit, q̄ quasi conductitius proditor oīa ad præceptorem deferat. DA. Hoc illud forsā est, quod lupum audio appellari, nam nomen solum in ea schola, ubi ante egi, iactabatur. IVL. Is ipse est ille clancularius lupus, quem nos miselli non minus odiosum habemus quā feram illam quadrupedem horrent oues. DA. Vercor ne & nos hodie deferat, quamobrem cogitandū mihi est,

M O S E L L A N I

ut si forsitan reus fuero, uel me expurgem, uel quàm mi-
nima pœna defungar.

DIALOGVS XVIII.

PETRVS ET PAVLVS grauitè ferunt desy-
deriũ feriarũ, deq; capite lauando agunt.

Quàm uellem hunc diem abiisse, ut à tot totius se-
ptimanæ laboribus, ac etiã bidui fame, ad fe-
rias demum, & carnes licet redire.

PAV. Impatiens es moræ, mi Petre, qui cum totam
penè septimanam expectaris, diem dimidiatum dura-
re nō potes. Quid aut̃ facies, ubi totis quadraginta die-
bus à carnibus est abstinendum? PE. Recte quidem
obiurgas, sed nescio quomodo, quanto uiciniore sunt
feriæ, tanto magis earum me premit desyderium, sed
nunquid aliud dicere uis? Nam ego hinc me in tonstri-
nam conferã caput lotionè curaturus. PAV. Et ipse
lauandum caput exhiberem, si lotionis mercedē tonsori
persoluere possem, nunc aut̃ tantũ habeo numum.

PE. Sat est, nec ipse plurius lauo, tametsi raro hos fa-
cio sumptus, nam p̃ anni circulũ uix sexies lauo. PAV.
At sæpe caput à sordibus repurgares, auunt enim cor-
poris emundatione & ingenium nitidius, quasiq; pur-
gatus reddi. PE. Sic quidem fertur, idq; propterea q̃
sæntiarum sedē in capite, utpote rōnis domicilio, collo-
cant, quare ocyus eamus. PAV. Quando lubet.

DIALOGI.

DIALOGVS XIX.

GEORGIVS ET CHOVRNRAVS.

De canticis, deq; ferijs diui Martini.

A Ge mi Chounrade, quo cantico per hanc hyemē stipem colligemus? Etenim in hac urbe mos est, ut scholastica aliquot coniunctim compositis in hoc cantilenis, diuitū conuiuia exhilarent. CHO. Tuū hoc fuerit disquirere, qui rei musicae peritiā habes, quiq; huius scholae consuetudinē melius q̄ ego, tenes. GEORGI. Quando in me hanc curā reijcis, aliquid minime vulgare dispiciam. Sed die ab hinc octauo qd fieri solet, nosti? CHO. Dic quid? GEOR. Erunt tū feriae praedanae diui Martini. CHO. Quid tum? GE. Est tunc messis nobis scholasticis uberrima, siquidem in eius diei uespera non esculēta solum nobis largius solito dantur, sed & stipem egenis dari hostiatim est receptum. CHO. Bene mecum agetur, quandoquidem corrasurum me spero, quo hyemem commodius transigere ualeā. GE. Ita spero quidem, quare ad tempus, ut praesto sis, uide.

DIALOGVS XX.

MARTINVS ET VALERIVS.

De ieiunij uiolata religione, deq; diuae Catharinae, studiorum praesidis numine.

Quid agis omnium impurissime? VAL. Quid adeo in me stomacharis, q̄ aliud faāo nihil,

M O S E L L A N I

¶ quod ientaculum capio, an tu ientaculum perinde dicis, ac piaculum? MAR. Quasi nō sat graue sit piaculum in hoīe Christiano ieiunij religionem uiolare. VA. Et hodie est indictum ieiunium? dic quo noīe? MAR. Sæleste, nescis cras ferias beatæ Catharinæ artium præsidis agendas? VA. At non putaram prædanas has ferias ex ecclesiæ instituto sacras. MAR. Quid tum? consuetudo recepta est pro lege, & ut nulla sit consuetudo, nobis tamen q̄ literas sectamur q̄bus hæc uirgo præsidet, hic dies ieiunio religiosissimo fuerat colendus. VAL. Ieiunabo ergo deinceps, uel hoc sumpto ientaculo, neq; n. lautum spero prandium, & ut uulgo diā audio bis interdū. male pasā pro ieiunio est. Tametsi ut tibi me aperīā, hætenus Christum uerū sapientiæ præsidē putauī, ut q̄ sapientiæ nomīe subinde ī ecclesiasticis concionibus celebretur. MAR. Noua quædam inducere conaris, at ego cōmuni oīum uia ingredi malo. VA. Non audisti illud Pythagoræ, Per publicam uiam ne ambules. MAR. Molestus es, tu tuum, ego meum iter ingrediar.

DIALOGVS XXI.

HIPPOLYTUS, ET CLETUS.

De frigoris iniuria queruntur.

○ Quam sunt felices, q̄bus p̄ opes iam licet domi ad caminum, aut calefactum hybernaulum adsi

DIALOGI.

dere. CLET. E diuerso quàm nos infelices, qui mi-
seri nullis pellibus, imò nullis penè uestibus aduersum
frigoris iniuriam armati per medios hymbres nubes
& glaciem, hostiatim quærere uictum cogimur. Sed so-
latur me illud Flacc.

Qui cupit optatam cursu contingere metam,

Multa tulit, featq; puer, sudauit & alsit,

Abstiniuit uenere & baccho, qui pythia cantat.

Alioqui, si similis esset exitus illorum & noster non
esset cur non iniurium deum dicerem, qui tam inique
res humanas administraret. HIPPO. Quin taces, ne
quid ferocius in Deum effutias.

DIALOGVS XXII

LVCANVS, ET STATIVS.

De ferijs diui Nicolai, deq; creando Episcopo.

Vid tu nobis adfers noui mi Stati? LV. Nihil,
sed in hoc te conuenio, ut de cõibus studijs fabu-
lemur. STA. Gratus ergo mihi tuus est
aduentus, adside huc nobis. LV. En adsideo, scis qd
in diui Nicolai ferijs apud nostrates fieri soleat? STA.
Qui ipse possem scire, cū illic fuerim nunq? LV. Di-
cã ergo paucis, q ludū illic literariū frequētant, ex lu-
dimagistri præscripto quempiã è suo grege episcopū
creant, eumq; magna pompa domum deducunt, & sta-
to tempore in templum reducunt. STATI. Quid

M O S E L L A N I

commodi iude capit nouus ille & factitius Episcopus?
 LVC. Nescio, nisi quod conuiuio tandem nescio cuius
 sumptu instructo exapitur, & tamen lautissime tracta-
 tur. STA. Non & interim, dum in magistratu uaca-
 tionē à discendi munere habet, aut æque ac cæteri ma-
 num ferulæ subdit? LVC. Aequè oīno adeo ut non
 sit magis episcopus, q̄ sunt hi reges, qui in tragœdijs
 Agamēnonis, aut Priami p̄sonam gerunt. STA. Eius-
 modi honorem mihi ne optarem quidem.

DIALOGVS XXIII.

IACOBVS ET THOMAS,

De uarijs spectaculis colloquuntur.

Quid cras sit futurum audistim? THO. Nihil
 equidem, nisi quæ aliās fieri consueuerunt.

IAC. De spectaculis nihil? THO. Ni-
 hil planè, num edentur aliqua? IACO. Edentur, &
 quidem uaria, nam funambulos duos adesse audio, q̄
 cras sui artificij miraculum ostentabunt. Tum Sarma-
 tas aliquot ipse uidi, qui immanes ursos ad exiguam
 stipem iuxta lituorum cantus saltitantes exhibebunt.

THO. Curabo quoquo modo, ut & ipse intersim, et
 am si me ipse intrudere debeam. IAC. Vix poteris,
 quando quidem qui non numerant, foras quatiuntur.

THO. Fallam ipsos ianitores. IAC. Ad hæc prin-
 æps ipse in foro parua aliquot equitum exhibebit, q̄
 inter sese

DIALOGI.

inter sese infestis hastis concurrent. Post quos arcum
ingredientur, item equites à calce ad uerticem usq; ar-
mati, quos cataphrattos uocant. Hi cateruatim sine ullo
aut ordine, aut arte alius in alium irruent, & se mu-
tuis ictibus ab equis deiciant. Nam in hoc arcus un-
diq; est arcumseptus, & ne qui cæderint, grauius læ-
dantur, fimo instratus. THO. Quam quaeso te, uo-
luptatem, ex tam furioso & minime uacando certami-
ne capiunt isti? IAC. Quid? nullas non lauitias præ
hac uoluptate contemnunt, præterquam, quod hoc ty-
rocinio ad serios hostium congressus preparantur,
& quasi animantur. THO, Utunq; sit, spectabo &
ipse quo modo res agatur.

DIALOGVS XXIII.

CHOVNRADVS ET AEGIDIVS.

De ieiuniorum ratione differunt.

Male sit istis, nescio quibus, qui totum penè an-
num ieiunijs onerant. Neq; enim satis fuit eis
quadraginta dies perpetuo CHRISTI ieiunio esse
sacros, nisi insuper quarta quaq; anni parte, aliquot
dies nos macerassent. Instat rursus septimana per absti-
nentiã transigenda. Quod si mihi tanto apparatu
prandium apponeretur, quanto illis qui ieiunia hæc in-
duxerunt, non admodum grauatim eis parerem, nunc
cum uix toto anno semel rugientem stomachũ exattem,

C

M O S E L L A N I

adhuc ieiunijs uexor. AEGI. Quid ita stomacha
ris mi Chounradè in sanctos ecclesie patres? qui hæc
omnia bono animo statuerunt non nobis, qui hæc nec
prestare per etatem adigimur, nec per inopiam pos-
sumus, sed sui similibus, hoc est, diuitibus istis, & delicia-
tis. CHOVN. Qui scis hæc? AEGI. Superiori
anno è quodam conaonatore audiui, qui diuo Hiero-
nymo, quanquam acerrimo ieiuniorum exactori, displi-
cere aiebat, maxime in teneris etatibus longa & immo-
derata ieiunia. Ne quemadmodum ipse scriberet, ante
pedes deficiant, quam currere incipiant, quare tantum
ieiuniorum modum imponendum, quantum ferre po-
terimus. CHOVN. Habeo gratiam diuo Hierony-
mo, qui pauperulis nobis & impatienter esurientibus
patrocinatur.

DIALOGVS XXV.

PENIVS ET FRANCISCVS.

De ferijs natalitijs Christi confabulantur.

ET gaudeo, & doleo mi Francisæ, festa hæc natali-
tia appetere. Gaudeo quidem quod hæc ferie om-
nia leta & festiua secum apportant, doleo aut, quod
scholasticis nobis in addiscendis horum festorum can-
tionibus grandis est exhauriendus labor. Præterea to-
tis diebus in templis alendum. Postremo & illud ue-
reor, ne si matutina sacra alto nimis sopore detentus

DIALOGI.

neglexero, & plagas mihi lucrifaciam. FRAN. Vera sunt hæc quæ dicis, attamen quando hanc conditionem accepimus, aduigilandum nobis erit, & omnia fortiter perferenda, nam & peiora his passi sumus, dabit Deus his quoq; finem, ut taceam hos nostros labores in pietatis cultum cedere. PENI. Certe plus satis delicati essemus, si nõ tantum molestiæ uel pro solo Christo deuoraremus, cuius respectu tot infantium innocens ætas crudeles barbarorum militum gladios est perpessa, cuius rei memoria & his ferijs conuincta est. FRAN. Sed illud quaeso, quid sibi uult, quod sacrificuli in diui Ioannis ferijs popularibus uinum è sacrato calice propinant? PENI. Nescio equidem, nisi quod audiui hoc poculum, utpote sacrum antidoti uicæ esse contra ueneni pericula. FRAN. At ego nolum hac fiducia acutam bibere, quantumuis sit hoc poculum, ut dicis sacrum.

DIALOGVS XXVI.

BRVTVS, ET PETRVTIVS.

De noui anni ingressu loquuntur, deq; missitandis strenulis.

FAustum annum hunc nouum et felicem tibi precor mi Petrua. PET. Et ego, ut cum scenore tibi reponam non hunc solum qui iam ingreditur, sed oia totius uitæ tempora beata tibi opto. BRVT. Tametsi

C ij

M O S E L L A N I

mallem strenulā mihi potius dares, quā magnificāte
 illam & solennem imprecationem. PET. At quas
 strenas dare possit Petrutius, qui præter pauculos li-
 bellos habet planè nihil? BRV. Libellum quempi-
 am dares, quando belle quadrat, ut homo literis dedi-
 tus, literarium quoq; det munusculum. PET. Ve-
 rum hac liberalitate studiorum meorum iacturam fac-
 rem, quod nec ipse, si modo amicus es, nobis suadebis
 BRV. Iocabar tecum, & te, quid animi haberes uole-
 bam pertentare, cum has consuetudines, nec ipse ma-
 gnificāam, ut qui iam sæpe audiuerim eas nobis è gen-
 tilitate relictas. Cuius generis esse audio, quod in qui-
 busdam Christiani orbis regionibus pridie feriarum,
 quæ tribus magis sunt sacræ, singulæ domus singulos
 reges creant, nam hæc omnia ex Ethnorum saturna-
 libus in hæc usq; tempora defluxisse apparet. PE-
 TRV. Quia trium magorum mentionem fecisti, ue-
 lim, sicubi aut audieris, aut legeris ipse mihi expedias.
 Primum, quid sibi uelit, quod eos diuos alij reges, alij
 magos appellant. Quod posterius ego de solis malefi-
 cis & præstigiatoribus dii putabam. Nam utrunq; ut
 nosti, in sacris canimus. deinde, cur hæc feriæ græco uo-
 cabulo, ἐπιφάνεια, nuncupentur. BRVT. Dicam
 quæ super hac re partim ex præceptore dictante, par-
 tim condonatore superiori anno excepi, Principio ma-
 gorū appellatione Chaldei non ut uulgus putat, præ-

DIALOGI.

stigmatos, sed viros sapientes nuncupant, & secretorum naturæ conscios, quorum professio à quibusdam etiam Latinis magia naturalis dicitur, sed quia hæc res finibus suis non contenta, temporis progressu in curiosam quandam dæmonum imposturam est delapsa, cœpit honestissimæ artis uocabulum probro esse, quod autem ijdem hi reges in psalmi propheta dicuntur, non sic est accipiendum, ut hodie sunt reges, hoc est tot dittonum potiētes, sed qui quoquo modo magistratum gerunt, sumiq; numero uulgi exempti. Quo modo & Hesiodus corruptos iudices & aduocatos βασιλῆας δωροφάγους appellat. Porro apud ueteres theologos grecos, ut Gregorium Nazianzenum audio ipsa natalitia festa ἐπιφάνεια dia consueuisse quod in his deus homo apparuerit. Verum quod & magorū ferias hoc uocabulo celebrant, hinc opinor esse, qd' illis dux stella apparuerit. Habes q̄ ego de hac quæstione audiui. Plura si uis, ex doctioribus require.

DIALOGVS XXVII.

VALERIVS, ET NICOLAUS.

De cereis in ferijs beatæ uirginis gestandis agunt.

Quid tu cereum non habes mi Nicolae? NICOLAUS. Vnde haberem, qui nec pecuniam, qua uitium emere possim, habeo? Sed si domi apud meos agerem, nugæ eiusmodi mihi pararet ma-

M O S E L L A N I

ter. VALE. Et tu nugas uocare audes res sacras?

NICO. Quid ni? neq; enim statim fuero hereticus, etiam si nullum gestem cereum, maxime cum non sit unde emam, tum & Christo putarem longe fore gratius, si sumptus, quos cereis emendis facimus, in pauperum usus conuerterentur. VAL. Atqui est hæc laudabilis consuetudo. NIC. Est omnino, sed non adeo ut præ ea meliora, & magis Christiana officia negligi debeant. VALE. Recte putas, nam & ipse sæpe stultam muliercularum pietatem risi, quæ suffigendis etiam quotidie cereis triginta sex, adeo sibi placant, ut per hoc coelum se demereri credant, quantumuis fortiter in plateis pauperes esuriant.

DIALOGVS XXVIII.

FABIANVS, ET FRANCISCVS.

De Bacchanalibus Christianorum fabulantur.

Quid causæ est Francisæ, quod heri ludum non es ingressus? FRAN. Grauius ex capite laborabam, ut lucem ferre non possem.

FAB. Belle morbum excusas, quando uulgare iam est scholasticos, si quando uel discendi sudorem horreant, uel ferulam metuant, ignauie suæ ualetudinem prætexere, ut scholasticus morbus pro assumulato & conficto, iam pridem in prouerbium abierit. FRAN. Quid alij faciant nescio, certe quod ad me attinet, mallem de-

DIALOGI.

ties ferulam pati, quàm semel in eum dolorem reade-
re, etiam si uix dum planè reualui. Sed quid tute iam
hic uersaris? an non hora iam est præceptoribus au-
sultandi? FAB. Est, sed ob hæc Christianorum qua-
si bacchanalia tridui missionē nobis dedit præceptor,
Vetuit tamen graui, si quis dicto audiens non fuerit,
proposita pœna, ne quis opificum istorum manuario-
rum exemplo larua personatus uicatim cursitet, quod
hæc insana cum bonis omnibus, tum maxime Christia-
nis sit indigna. FRAN. At ego iam dudum laruam
in hunc usum domi inclusam adseruo. FAB. Vide
quid agas, nam de laruis cautum est. Porro compota-
tiones, & cantiones auiles indulgit. FRAN. Paren-
dum erit, alioqui post impermissa gaudia fortiter plo-
rabitur.

DIALOGVS XXIX.

VITVS, ET SEVERVS.

De ieiunio, deq; confessione quam uocant.

Quid istud portendit Severe, quod ita cogitabun-
tus inambulas? nam mihi arduum quiddam
meditari uideris. SEVE. Rogas?
quasi non ipsum hoc tempus te quid agrem, docere
possit? VI. Ieiunijs ergo crebris te maceras, ut eius-
modi faciem exhibeas? SE. Minime, sed quæ parum
religiose in Deum conditorem ac eundem liberato-
rem male gratus admisi, ea nunc in memoriã reuocare

M O S E L L A N I

studeo. Iam enim tempus simul, ac ecclesiae edictum postulat, ut peccata nostra diligenter excussa, tuis sacerdotum auribus censenda, deponamus, quo ab eis de peccatorum ratione edocti, uidelicet quaeque leuia, quaeque graua sunt, deinceps cautiùs uiuamus. VIT. At in curius ego ne semel quidem adhuc de re tanta cogitauit. SEVE. Hac ratione nihilo es melior, quin mature nobis hoc munere defungendum est. Nimirum ut hoc confitendi onere, quo nullum est grauius liberati diui Gregorij, studiorum praesidis, ferias agamus expeditiores. VIT. At istis ferijs quaeso te, quid tandem agitur? SEVE. Quia is diuus studijs, ut dixi, praesidere putatur, pueri qui suam aetatem in literis agere uolunt, eo die in hanc nostram militiam nomina dant faustis, ut ominantur, auspicijs. VIT. Et quando haec erunt feriae? SEVE. Die sicut opinor, ab hinc decimo. VIT. Quando ita suades, et ipse mihi oricularium sacrificium (sic enim uocant nonnulli eruditi) quaeram, in cuius sinum mea delicta effundam. SEVE. Si lubet, eum accedendi dabitur facultas, quem ipse iam semel atque iterum diligentem sum expertus. VIT. At ego malletem oscitantem aliquem, quem non magno negotio in aliquot criminibus fallere possem. SEVE. At hoc non est Christianum agere, sed uulpinam fraudulentiam referre, uerum tu uideris.

DIALOGI.

DIALOGVS. XXX.

MARCELLVS, ET ANTONIVS

Salve Antoni. ANTO. Et tu mi Marcellè. MAR

SCEL. Quid est quod ita discurris? quem quæris?

ANTO. Quæro qui mecum rus eat, mihiq; in emen-

dicandis ex more ouis sit socius. MAR. At hæc

consuetudo praua est, & indigna eo, qui se liberali-

bus studijs addixerit. Quid enim seruilis, quàm de-

cem ouorum gratia agrestium caulas hostiatim obam-

bulare, ac interim domi lectionum iacturam facere.

ANTO. Sed unde famem pellam, si non abos unde-

cunq; conquirere licet. MAR. Hic in urbe quan-

tum nature satis est, nanãsa potes, nam quorum bene-

ficio totius anni uictum conquiris, eorundem benigni-

tate & paucos dies transigere posses. ANTO. Fru-

strate appello, seuerior es, q̃ ut tecum rem habere ue-

lim, ipsa es sapientia. MAR. Age, age, ut lubet.

DIALOGVS XXXI.

PAVLVS, ET LVCAS.

De sanctorum communionem colloquuntur.

OBsecro te mi Luca, modis omnibus nos excutia-

mus, atq; ab omni peccatorum sorde pœniten-

tie scopis repurgemus, ne ad tanti principis, qui semel

nutu nos perdere potest, mensam, illotis quasi mani-

bus accedamus, & panem illum coelestem, ac admiran-

C V

M O S E L L A N I

dum polluto ore, imò & animo sumamus, de quo heri tam pia, tamq; frugifera disseruit ludimagister.

LVC. Equidem pro mea uirili ad hoc entar, sed rogo, quid nam de hoc mysterio disputauit præceptor? Nam ipse non interfui. PAV. O miserum qui talia negligis. LV. Adesse non quivi, alibi occupatus quamobrem uehementer oro & obtestor, ne mihi rem adeo salubrem inuideas. PAV. Dicebat tantam esse uirtutem huius admirandi abi, ut qui eo rite uescerentur, fierent unum corpus atq; unus spiritus cum Christo, sicq; in deum, deiq; filium abirent. Sed si quis impurus contingat, cum non salutem, sed extremam animæ perniciem sibi inuenire. Hortabatur ergo nos omnes ut his diebus peccatores cum Christo in cruce moreremur, quo felicius & sinceriori cum gaudio, unà cum eo in uitam transeamus. Hoc enim dicebat significari per hæc appetentia nunc festa, quod pascha Hebræis transitum à morte peccatorum ad uitam uirtutum sonet. LVC. At interim, quid fit de placentis, & id genus alijs bellarijs, quæ ad imminentes hæc ferias parare consueuerunt? Non & de illis quid audiisti? PAV. Apage, tuus animus iam est in placentis, quum hoc temporis articulo Christus olim de uita sit periclitatus. Placentæ, atque eius generis illecebræ aliæ, suo loco sermonem dabunt, nunc de alio abo solliciti esse debemus.

DIALOGI.

DIALOGVS XXXII.

VRBANVS, ET CHILIANVS.

De lustratione urbis & aruorum fabulantur.

Quid est Chiliane, quod tanto molimine plateas
& uicos omneis uerrunt, num princeps quispiam
huc est uenturus? CHIL. Minime, sed
quiddam est cras futurum, cuius gratia merito hic fit
apparatus. VRB. Quid hoc, quaeso? CHI. Solen-
ne iam est, crastino die urbem corpore Christi lustra-
re, siquidem primarius hic sacerdos sacratissimum hoc
corpus arcum moenia gestabit, uniuersa sacerdotum
manu, atq; item populo omni, à tergo sequentibus.
VR. Sacra forsitan erunt, quae nonnulli Amburbialia
non inepte uocari uolunt. CHI. Erunt. VR. At
quando agentur Ambarualia? sic enim uocantur quae
apud Ethnicos erant Robigalia, Paliliaq;. CHIL.
Perendie. VRB. Num & nos eis sacris adesse oportet?
CHI. Maxime, pariter & clericorum ordinem
omnem. VR. At apud nostrates soli agrestes sacri-
fico praeeunte agros obequitant. CHI. Suus cuiq; re-
gionis est mos, qui pro lege est habendus.

DIALOGVS XXXIII.

LEOPOLDVS, ET SEVERVS.

*De spectaculis comœdiarum, tragœdiarumq;
exhibendis fabulantur.*

M O S E L L A N I

SCis Severe, quæ spectacula die crastino, qui est à se
Srijs sacratissimi corporis Christi octauus, edi con
sueuerint? SE. Qui ipse scire possem, cum superio
ri anno non adfuerim? LEO. At audisse ex alijs po
teras. SE. Quæ ad me parum attinent, ea non ma
gnopere soleo exquirere. Sed dic, oro, quid tandem
est, quod iactas? LEO. Tragœdiam eorum cru
ciatum, quos pro nobis tulit seruator Christus histrio
nes agent, sunt, n. ad hoc delecti aliquot. SE. Quæ
so te, omnibus etiam adhibitis personis. LEO. Om
nibus omnino. SE. Ipse in hac fabula mallem duris
simi militis aut carnificis personã gerere, quàm ipsius
Christi, nam tametsi, ut conijcere possum, res fictæ re
presentabitur, sic tamen abire non potest, quin is, qui
Christum refert, multas interim molestias in se recipere
cogatur. LEO. Et ipse in hac fabula spectator esse
malo, quàm actor, ut auctus; res interim agatur seria.

DIALOGVS XXXIII.

BASILIVS, ET GREGORIVS

De coronis gestandis, deq; earum uario genere
colloquuntur.

VNde tute proripis Gregori? aut ubi hanc co
ronam rosaceam es nactus? GREG. E foro
ueni, mi Basili, ubi fertum hoc numo mihi coemi.
BA. At in quem usum? GREG. Animus est eam

DIALOGI.

coronam capiti impositam gestare, Nonne uile tibi uideatur, tot rosas unco numulo parari? BA. Et te tantum asinum non pudet, puerorum ritu coronatum incedere. GRE. Puderet? Grandes natu, & canu etiam hic gerunt. BA. Nihilo ergo sunt grauiiores, forsitan hunc morem à Græcorum mollitie sumpserunt, quos apud Homerum subinde καρκινομόωντας audio dici. GRE. Vnde sumpserunt equidem nescio hoc scio quod gestant. BA. Num solas rosaceas gerunt, an & uiolaceas pariter & liliaceas, aut etiam rosamarino, uel amaraco intertextas? GRE. Omnis generis flores, ac odoramenta conannant. BA. Faciant ut lubet, ego nihili pendo istas nugas, tantū abest, ut precio emere uelim, quod si pecunia superesset, uerum butyrum emere malim, hoc enim in alimentum cederet, cum fertorum si odorem excipias, nullus plane sit usus.

DIALOGVS XXXV.

RAPHAEL, ET SERVATIVS.

De ferijs diui Urbani confabulantur.

VTinam alas mihi sumere liceret, ut hinc domum auolare possem, etenim nimis quam cupio crastinum diem in patria transigere, quam facultatem magno emere nō recusarem. SER. Quid hic sibi uult? tu te homine exuto in uolucrem mutam uis degenerare? aut quid noui accidit? quod tam repentinum tuum

M O S E L L A N I

iter postulet. RHA. Rogas? nescis cras ferias agere
 diui Urbani? SERV. Noui, sed quid tum? RHA.
 Hunc diuum eodem penè ritu, & ijsdem æremonijs co-
 lunt nostrates, quibus Ethniã olim Bacchum, ut quæ
 illis erant Bacchanalia, nobis penè sint Urbanalia.
 SER. At in quæ usum faciunt hæc Christiani? RHA.
 Putant hoc diuo sic placato, felicius prouenire uuas.
 SER. O stolidos homines, qui sanctorum numina cra-
 pulis, ac comotationibus demereri se credunt, cū illi
 abstinentia & sobrietate primæpi Deo placuerint.

DIALOGVS XXXVI.

CORNELIVS, ET GVILIELMVS.

De commodis ac molestijs uariorum
 temporum differunt.

VT nihil est usquam ex omni parte felix. GVIL.
 Quid stomacharis tecum mi Corneli? COR.
 Nō iure stomachor qui me tot malis in hoc immundo
 mundo obnoxiiū experior? GVI. Quid est, de quo
 præter cæteros adeo queri possis, nisi forte pauperta-
 tem in ius uocas. COR. Quasi hoc solum sit malū,
 etiam si grauisimum, uides, & opinor sentis, ut nihil
 non sit aduersum, hybernis temporibus frigore concuti-
 mur, nunc æstus & aniculæ rabies nos excruciat. In-
 ter diu quidem ob annonæ caritatem, & nostram pau-

D I A L O G I.

Pertatem fame ac siti laboramus, ut taceam interim
 nusquam non culices & muscas nobis obuolantes, &
 corpusculū exugentes, nocte uero cum cimābus ac pu
 liābus bellum gerimus. Ad hæc miseros exterrent, iam
 fulgura, iam fulmina, iam tonitrua. Mox & autumnus
 sexcenta morborum genera effundet, nonnunq̄ morbo
 rum omnium pestilentissimum, pestem, adde, quod hu
 ius temporis occasione pleriq; nostri ordinis, dum stul
 ti frigida lauare uolunt, in rapidis & profundis flumi
 nibus, capitis iacturā faciunt. GVI. At tu naturæ pa
 rum gratus incommoda quidem, quæ secum adferunt
 æstiuū menses, accurate recenset, comoda uero, quæ si
 mul præstant præteris. COR. Quæ ea sunt, quæso?
 GVI. Rogas? primum nec igne, nec uestibus admo
 dum est opus, deinde tempus hoc tot frugum genera
 donat siliginem, triticum, hordeum, tot legumina, fa
 bas, pisa, uicias, tot poma, pyra, pruna, mospila, nu
 ces iuglandes, auellanas, castaneas molles, racemos, su
 per omnia uero dulcissimum mustum. An hæc parua
 tibi uidentur æstatis, & autumnū munera? Videris mihi
 ex eorum esse grege, de quibus Seneca eleganter dixit,
 Nemo beneficia in Calendarium scribit. Postremo cogi
 tandum semper sic placuisse naturæ conditori Deo, ut
 in hoc mundo nihil sit hominibus omni ex parte bea
 tum, quo uidelicet ex his mundi perturbationibus ad
 aliam patriam aspiremus.

M O S E L L A N I

DIALOGVS XXXVII.

PANDVLPHVS Ludimagistri minister. HIERONYMVS Scholasticus, LUDIMAGISTER, Consultant in quam potissimum Academiam studioso sit commigrandum.

PANDVL.

Quid tu hoc ante ostium Hieronymi, aut quid hic tibi negotij est? HIERO. Ludimagistrum conuenire uolebam. Sed pulsare cunctabar ueritus ne intempestiue fortasse uenirem, quare te pro ueteri nostra consuetudine rogo, ut hic me adstare significes. PAND. Faciam, tu hic tantisper morare, dum quid rerum sit, huc renuncio. Hec, quod iniunxeras, diligenter est curatum. LVDI. Bene factum. At quis est, qui cum pro foribus fabulantem te audiui? PAND. Scholasticus quidam, nomine Hieronymus, tibi familiariter notus, qui te, si modo tempestiuum est, coram alloqui cupit. LV. Intromittatur, iam nunc quid uelit, conijcio. HIE. Salue humanissime preceptor. LVD. Et tu saluus sis optime adolescens, sed quid est, quod me uelis. HIE. Paucis dicam: Quia iam biennium te in hoc ludo doctem audiui, utriusque literaturae prima rudimenta tua ope utamque percepi, hortatur me tum parens, tum etiam haec mea aetas maturior, ut hinc in Academiam aliquam ad uberiores ingenij cultum capiendum me conseram. Hoc ut felicius faciam

D I A L O G I.

faciã, tuo consilio opus est, nam inter tot, ut uocant uni-
 uersitates, quot iam olim sunt institutæ, & hodie pas-
 sim nouæ exoriuntur, mihi eiusmodi rerum ignaro,
 difficile planè est eius, quæ omnium sit instructissima,
 & meis studijs accommodatissima delectum habere.

LVDI. Prudèter hic deliberas Hieronyme. Sunt Aca-
 demie, idq; in Germania quas uehementer probem.
 Sunt item quas cupiam uel omnino non esse, uel in to-
 tum immutari. Vt enim in re militari duci dux, & mi-
 liti miles, ut in repub. senator senatori, & ciuis ciui, ar-
 tifex artifi, ut deniq; homo homini, sic schola scholæ,
 doctor doctori, magister magistro præstat. Quod di-
 scrimen qui non aduertit, operam & oleum (ut aiunt)
 plerunq; perdit, ac, ut certum aliquid quod hic sequa-
 ris habeas, in hac deliberatione spectandum erit, non
 quæ magnificis ædificijs, tametsi & hæc decoris ali-
 quid addunt, sed optimis omnis generis præceptoribus
 sit instructissima. Primum, quæ trium linguarum pro-
 fessores habeat, & doctos, & bonos. hoc ut uelint,
 illud ut possint, recte docere. Siquidem Latinam Græ-
 cam, & Hebraicam linguas in Christianorum scholis
 doceri pōtifficæ leges iubent, & ueterum theologo-
 rum exempla suadent, ac deniq; Christianæ repub-
 usus exigit. Habeat deniq; theologos, si non plureis,
 unum saltem, aut alterum cum scripturarum intelli-
 gentia, tum uitæ sanctimonia egregie probatos, tū uia

D

M O S E L L A N I

reperitos non minus prudentia, quàm & facundia laudatos. Ad hæc medicos, quos naturalium rerum profunda cognitio, & curandi fides perspecta commendat. Postremo philosophos, non qui sophisticam rixandi pertinaciam ex ineptis barbarorum commentarijs inculcant, sed qui philosophando Platonis maiestatem, acumen Aristotelis, Theophrasti eloquentiam proxime referant. Quamquam autem Gymnasium eiusmodi minoris negocij est describere, quàm usquam inuenire, ad præscriptam tamen imaginem utaque accedunt hic in uicinis sitæ LIPSIÆ & VVITTEMBERGÆ. Nec ERPHORDIÆ cuiquam est aspernanda, ut nec BASILEÆ. Super omnes uero trium linguarum professione floret LOVANIVM schola, uel hoc nomine omnium felicissima, quod magnum illum & sapientiæ & eloquentiæ principem habet ERASMVVM. Et summum illud Ecclesiasticæ dignitatis ornamentum Albertus Cardinalis, magnum quiddam Moguntia suæ molitur. Quod si proæsserit, erit quo se Germania exteris hominibus uenditet. Porro illud in primis tibi cauendum, ne ad sublimes illas professiones, quas uocant, illois (ut aiunt) pedibus irrumpas. Quin modis omnibus curandum, ut utriusq; literaturæ mediocri cognitione præparatus accedas. Sic enim futurum, ut in disciplinis his grauioribus atus & facilius quò ten-

D I A L O G I.

dis, peruenias, & rectum in rebus omnibus iudicium consequaris. Hoc qui caret, frustra se aliquid feliciter discere sperabit. HIERO. At in eiusmodi scholis receptum audio, ut scholasticorum quisque preceptorum quempiam sibi deligat, quo familiariter utatur non tantum ad literarum studia, sed & formandos mores, hic, quid mihi faciendum suades? LVD. Quid aliud, quam ut antequam te alicui in disciplinam dedas, diuitum istorum delicias imiteris. Qui cum multa uini dolia in cellis habeant reposita non statim equouis bibunt, sed pitisando omnibus ex ordine degustatis, quod firmissimum fuerit & suauiss. hoc demum in palati sui usum relinunt. Quin ergo & tu, cum ex alijs salsataris, tum multos eximios eiusdem professionis doctores audiendo exploras ipse, cui potissimum ingenij tui solum rectissime excolendum locus. Tamen sunt & aliae coniecturae, quibus in hoc uti possis, ut si cui suae lucubrationes insignem peperere famam, si quem eruditorum calculi aliquot probent, si cui ab alijs eiusdem musae amulis insignite inuideatur, si quem uel iudicium principis, uel Reip. consensus a contemptu uindictet, si cui magna sit lectissimorum iuuenum frequentia, si qui discipulos aliquot egregie doctos reddiderit. Denique si qui Pythagorae exemplo, non quenque statim in disciplinam suam recipiat, & alijs plura ac meliora pluris quoque doceat. Caue

M O S E L L A N I

enim committas ad quenquam te alliciat sumptus uilitas, aut à quoquam deterreat impense magnitudo. Quando fere fit, ut qui paruo docent parua, qui magno, magna quoq; doceant. His indicatijs si prudenter uteris, uix unquam tibi imponet quisquam. Cetera rerum usus optimus magister etatis progressu te facile edocabit. HIERO. Sat est. Quod restat pro sa-

lubri adeo consilio, gratias tibi immortales tuas

agit Hieronymus si quando dabitur facultas egregie quoq; relaturus. LVDI.

Nihil addubito, Tu, quod tibi felix

ac faustum sit, ad bonarum

artium mercaturam

proficiscere.

Vale.

F I N I S

DOCTISSIMO VIRO SIMONI

Pehm Gymnasiarchæ in monte Diuæ Annæ

Christophorus Hegendorphinus. S. D.

Circaferuntur passim, uir doctissime, Dialogi uirorum doctissimorum, pueriles loquendi formas representantes. Id quod uix diu potest, quod pueris usui futurum sit. Errant illi, et uehementer errant, quod non his loquendi formulis propositis, puerorum linguam expolitionem reddere laborant. Erasmus ille magnus alicubi hoc ipsum cum pueris faciendum esse admonet, eius calcalum, nemo non candidè probat. Quapropter et ego illorum uirorum stimulis excitatus, Dialogos quosdam ludere cœpi. In quibus si non omnia uirorum superiorum uestigia imitabor, ignoscere debes. Mihi non tam propitius Mercurius est. Mihi non tam dulces cœmenæ, quicquid possum, reddo, non gloriolæ choragium ambio, contentus, si quantum utilitas ad bonæ mentis adolescentes emanarit. Tibi autem uiro doctissimo, dedicare hos dialogos uisum est, quod soleas rebus ipsis impensius fauere, ex quibus puerorum lingua utcumque expoliri potest. Et non paucis annis huc omnes conatus destinasti, puerorum ut balbutiei succurreres. Et ego mutuam tibi operam præstare non erubescō, Tua humanitate fretus, qua neminem non et in laboris et honoris collegium asascis. Accipe igitur quicquid est xenoli, grauiora, Deo auspicante, dabimus, si has nugas non omnino displicuisse uidero. Vale.

D iij

DIALOGI

PVERILES CHRISTOPHORI

Hegendorphini XII. lepidi æque
ac docti.

GEORGIVS ET CHRISTOPHORVS

De ueris temperie colloquuntur.



ALVVS SIS MI CHRI
stophore. CHRI. Et tu sal-
uc. GEOR. Quid rerū agi-
tur hoc iam ueris tempore?
CHRI. Nihil equidē rerum,
nisi q̄ plurimū gaudeo asperū
hyemis tempus defluxisse, atq; iam amœnissimā ueris
temperiem appetere. GE. Ecquid refert quo tem-
pore uiuas, modo in literis uiuas? CHRI. Tu pol ho-
mo non es sobrius, hyeme, quæ mala exhauriamus,
tuo ipsius, ut opinor, periculo expertus es. Nempe q̄
male uestitus, & scuiente iam bruma, ciuium domos
queritandi uictus gratia oberrare cogeris, & aliquan-
do ita frigore manus obrigesant, ut egre ollam in ma-
nibus gestare queas. GEOR. Belle narras, ac rem
tetigisti, sed ego hoc ipsum infortunium, Deo laus,
non dum expertus sum, ut qui à parentibus semper tot

D I A L O G I .

commeatus capiam, quo hyemis scuitiam propulsare
 possim, quamuis non ita exhaustus sum, ut neq; quid
 edam, neq; quid bibam, restet. CHRI. Non est quod
 te hoc tempore maceres, in patriam concede & com-
 meatu, in futurum aestiuū tempus, te instrue. GE. Me-
 morem mones, & ut Homerus ait ἀεὶ δὲ τὰ ὀψύχῃ
 Ego ipse iam eo missionem à præceptore petiturus quo
 in patriam me conferam. CHRI. Et mihi animus
 esset, patriam inuisere, si sperarem me quippiam à pa-
 tre corradere posse. Sed è pumice atius, sat scio, aquam
 extorseris, quàm unum à patre nummulum. Tam phi-
 largyrus est. Tam semper ueretur, ne ad inatas redi-
 gatur. GEOR. Et quæ malum dementia est, patrē
 uelle literis te addicas, & nō mutua pecunia studia tua
 alere & fulare. Pecunia opus est, alioqui nihil oīno in
 literis agas necessum est. Vnde non immerito Comi-
 cus quidam Plutum diuitiarum Deum loquētem facit
 Ἀὐτὸς μὲ πάντῃ γέγονε. i. per me omnia fiūt. CHR.
 Quid ais? ego, quantum in me situm est, reddo, probo
 rum hoīum opera suffultus. Nam hactenus, laus supe-
 ris, nunquam pecunia defuit, ad comparanda dictata
 scholastica. GEOR. Sed hac de re posthac, ne in len-
 te unguentum, quod dicitur. Nunc quod nostri est in-
 stituti, effectum curabimus. Accedamus præceptorem.
 CHRI. Sat scio non permittet nos patriam inuisere,
 uix enim quadragesimæ carceres ingressi sumus.

D iij

HEGENDORPHINI

GEOR. Tu pol tuam ipsius umbram reformidas, mi-
 hi negotium curandū da. CHRI. Deus feliciter uer-
 tat. PAN. Ad malos coruos, quis ita fores pulsat?
 En Georgi, En Christophore, quid uestra cupido est?
 quid aduentus uester præ se fert? GE. Est præce-
 ptor intus? PAN. Est. GE. Quid rerum molitur
 PAN. A prandio domum redijt, ultro atroq; com-
 means. GE. In tempore aduenimus, paucis eum cō-
 pellare uelimus, nisi alijs uacaret. PAN. Hic pedem
 figite, donec reuertar, periculum faciam quid rerum
 agat. PAN. Præceptor humanissime sunt pro foribus
 duo adolēcentes, qui paucis cum tua humanitate age-
 re uolunt. PRAE. Qui sunt? huc accersantur. GE.
 Salue præceptor humanissime. PRAE. Et uos salue
 te, quid est quod me uultis? GE. Non ignoras præ-
 ceptor humanissime, iam quadragesimæ tempus instare
 in quo non parum propter commeatus penuriā, fame
 maceramus, pecunia ad uiuum usq; denudati, nec obu-
 lus restat, quo restim emamus. Quare uelim tuo fauo-
 re patriam repedare nobis liceat, gratias interim agen-
 tes, q; nos in scholasticorū album ascripseris, & opti-
 mis quibusq; artibus nos erudieris, olim gratias relatu-
 ri, si quando per fortunā nobis licuerit. Et quod in præ-
 sentiarum nobis non datur, deus Opt. Max. cumulatus
 rependet. PRAE. Mirum est uos tam cito hinc auo-
 lare uelle, octo aut amplius septimanæ supsunt, priusq;

D I A L O G I .

praelectiones uestrae ad umbilicum deducantur, & uos iam hinc discessum adornatis, si meo consilio obtemperare uultis, quod arbitror uos non infrugiferum experturos, ad unam aut alteram hebdomadam nobiscum duraretis, uelim. Nihil negocij uobis domi est. GE. Fames ipsa nos domum abigit. PRAE. Dij boni, si alij non fame pereunt, nec uos, ut opinor, fame peribitis. Tum si nihil aliud hic remorari posset, hoc saltem remoram uobis iniiciat, quod his diebus, peccatorum detestandorum rationem uobis tradam, quo in sensu nouitate reformati, Christo fructus adatis in patientia, Transitum, Pascha, Hebraeis sonat. Nepe q. hoibus iam ex peccatorum tyrannide ad uitae libertatem aspirandum est. GE. Tam lubeter hoc discere uelimus, q. nobis usui futurum scio, sed parentum affectus hic diutius agere non patuntur. PRAE. Ut lubet, Vos inuitos seruare, non consiliu est, per me ergo domum proficisci potestis, modo date operam, ne moribus subagrestibus apud parentes geratis, ne suspicentur uos illam morum luem in ludo nostro contraxisse. GEOR. Faciemus omnia sedulo, remis tum uelis conantes, ne ludo tuo dedecori simus. PRAE. Ite ergo fausto auspicio. GEOR. Valeat tua humanitas faustiter praceptor humanissime.

HENRICVS FRIDERICVS De astate, colloquuntur,
& in quem ludum literarium proficisci uelint. FRID.

D A

HEGENDORPHINI

VT uales Henricæ? HEN. Optime ualco, quo
 in cardine res tuæ aguntur? FRI. Omnia leta,
 omnia auspiciata, cum parentibus satis superq; egi, in
 ludum triualem me conferam, sub docto aliquo præce
 ptore militaturus. Tu si te mihi comitem addere uis,
 gratum erit, ut quod maxime. HEN. En optato res
 cadit, diu mecum cogit aui, in ludum aliquem proficiã
 uelle, nec ego solus iter facere soleo. Tu ergo mihi co=
 mes uel multo gratissimus diuina, ut dicitur, uirgula ob
 latus es. FRIDE. In quem autem ludum te tradere,
 animus est. HEN. In quemauq; tu uolueris. FRI.
 In Lipsensem, audio enim illum omni studiorum gene
 re uel in primis florere. Tum Gymnasiarcha illi ludo
 præfectus est, homo mire facundus, & in nullo non scã
 entiarum genere Roscius. Adde quod urbis ipsius cele
 britas, me illuc adigit. HEN. Sed audio pestem illic
 uehementer grassatam esse. FRI. Amici cuiusdam
 literis compertam habeo, pestem desæuisse, Academiæ
 quoq; magistros illuc pedem retulisse. HEN. Non
 fieri potest, ut pestis omnino desæuerit, si scholasticã
 ex omnigenis oppidis, in quibus hactenus pestis popu
 lata est, consederint, ex afflatu ipso peste corripiamur
 oportet. Præsertim his æstiuis mensibus, quibus non ra
 ro tam numerosa scholasticorum turba confluit, ut
 eam uix capiat ludus. FRID. Quid cornicaris ine
 pte, facile est inuenire sutelas, quibus tuam inertiam

DIALOGI.

oppallias. Nos non soli illic erimus, cum alijs adole-
scentibus fortunæ experiamur aleam, siue moriemur,
siue uiuemus, Christo moriemur, & Christo uiuemus.

HEN. Tum, ut audio, non licet æstiuis mensibus frigi-
da lauare, nec cerasis decerpendis mutuan agricolis
operam collocare, nec aliquot dies scholis abesse,
plusquam Argos illic agere, audiui, qui arcum forane-
am illam turbam obseruent. Nec desunt Corycæi, qui
clandestinos sermunculos, quos amicus cum amico nu-
gatur, ad præceptorem deferant. FRID. Iam audio

quàm nihil scholasticum in te spiret, scholasticum age-
re uis, & rusticorum negotijs te immergere cupis, Scho-
lasticus à τὸ Ἀρχολῆος dictus est, hoc est, ab oïo li-
terario, nempe qui rusticarum rerum labyrinthis ex-
emptus, se totum literis addiat. HEN. Sed quis sem-

per literis operam nauare potest? Omnium rerum sa-
tietas est. Vide tu ne studium plusquam adamantinum
in neruos abeat. FRID. Tu unius oboli gratia, lite-
ras, sat scio, deuoueres. HEN. Quæ Pallas tibi hæc

in mentem misit? FRI. Audio te cerasis carpendis ad-
dictiorē esse, quàm ut in literis bonis aliquā sementē facias.

HEN. Non semp patruos sapere, oportet, ludendū
aliquando par impar, equitandum in arundine longa.

FRI. Adolescentes sumus, Non est quod doctissimo-
rum uirorum collatione nostro oïo blandiamur, si eo
crepserimus, quo illi ueluti in olympiade euaserunt

HEGENDORPHINI

ea feriandi à literis libertate utamur licēbit. Iam illud
 Titi Vespasiani, in intimos pectoris recessus insculpas
 oportet, q̄ dum aliquando recordaretur, se aliquo die
 nihil egregij præstitisse, ὁ μὲν ἦτο κατὰ γὰρ ἔπειτα ait, ille
 dies hodie perijt. Id quod Apelles pictor ille nobilissi-
 mus, non instrenue imitatus est, qui nullū diem absq̄
 linea esse oportere dicebat. HEN. Sed iam nō igno-
 ras, q̄ solis æstus ingrauescat, & q̄ capita Anticyris di-
 gna faciat. FRI. Non est quod solis æstus te prægra-
 uet, si interdum prælectionibus audiēdis, tempus imper-
 tias, diluculo uero è lecto surgens à capite ad calcē usq̄
 repetas, optima quæq̄ in memoriæ thesaurum depo-
 nas, hoc agas oportet, si non uis ex paleis tuorum la-
 borum inanes culmos excutere. HEN. Iam in uiam
 reduxisti, iam reddidisti animum, quoquo tu profectus
 eris, ego te comitabor.

IOANNES, ET SEBALDVS

De autumnū tempore confabulantur.

ECquid agis Ioannes? IOAN. Ecquid agerē, iā
 supellectilis meæ sarānam colligo, domum aduo-
 laturus. SEBAL. Hui tam cito? IO. Cito? Bartho-
 tomei feriæ elapse sunt, Mariæ natalis in foribus est.
 Vix domum rediero, & Michaelis feriæ me anteuer-
 tent. SEB. Ecquid te domum abigit? IO. Vinde-
 mia iā faciunda est, & me musto, in lacunis subsatente,

D I A L O G I.

ad plenū usq; explebo. SE. Homo es Bacelus, q̄ multū gratia studiorum iacturam facere uis. IO. Prælectionibus omnibus iam quasi Colophonem imponent. SEBAL. Si expectare uis paulisper, donec literas patri perferēdas, conscribam, te rursus uisam. IO. Seculum effluet, q̄ hinc me auellero. SEB. Non uelim ieiunus iter ingrediari. Nam medicorum præscripto constat Autumnum magnum malorum agmen hoībus adferre. IO. Sape demirari solitus sum, cur in autumno homines in tot malorum genera cadant. SEB. Medicorum calculus est, propterea in autumno uarijs uicijs hoīm corpora affiā, q̄ prima luce nescio quod frigus panicum homines inuadat. Meridie aut, calor quidam repentinus oboriatur. Vnde ex illa temporis uarietate corporum crasis perturbatur. IO. Iam audio, in medicorū diatribis enutritus es, ut qui tam archana medicæ rei mysteria, ueluti ex tripode pronuncias. SEB. Tum autumno quid Lipsiæ fiat, scis? IO. Qui ego scirem? Tu qui olim illic uersatus es, apertis, ut dicitur tibijs edissere. SEB. Agricola in dies plenos, pomorum, pyrōrū, mespilorum, calathos in forum asportant, ubi aliquando ego græca fide mercari soleo. IOAN. Quibus aut strophis eludis, ne ab agricolis arripiaris? SEB. Gygis annulo utor, uel alium mihi adiungo, qui poma & pyra licitatur, & cum agricolæ in gremiū mihi numerarunt, ego me in

HEGENDORPHINI

pedes, quātum possū, proripio, punica fide exoluēs.
 IOAN. Solent autē ne te insequi? SEBAL. Qui in
 sequi me alio circumstante possunt. Verentur ne dum
 Iunonem insequantur, in Nubem incidant, hoc est, ne
 dum paruo cuidam damno mederi uolunt, in grauius
 prolabantur. IO. Quid si ad magistrum deferent te,
 quot quæso plagas tibi lucrifaceres. SEB. Quid? ue
 luti Elephantina cutis iacula eijāt, sic & mea cutis ad
 quæ uis flagra occalluit. IO. Iā cretizare uideris.
 SEB. πειρία τέχνας ἀγειρεῖ, ut quidam dixit, hoc
 est, paupertas artes excitat & fames ipsa Chamæle-
 onta agere docet. IO. Audiui quondam à meo præ
 ceptore apud grecos morem fuisse, quod famem uirgis
 ex ædibus eijcerent, dicētes foras famem, intro diuitias
 & sanitatem. SEB. Utinam & ille mos apud nos
 duraret, sed iam plus æquo detineo te. IO. Minime
 gentium, si quid aliud uis, diāto, omnia sedulo exequar.
 SEB. Parentibus narra, me in literis semper gnauiter
 uiuere. Alioqui si resārent me aliquando ineptire, ne
 nummulo quidem auxiliares manus porrigerent. Sā
 cerdotum satis amplum mihi impetrarunt, si eo erua
 ditionis progredi possem, quo sacrificio celebrando
 sufficerem, in caelo essem. IO. Belle narras, sed qui
 quæso sacrificio celebrando par esse potes, si uerba
 nec quidem intellecta, Deo obmurmuras? SEB. Nō
 solus ego in eo ludo sum. Multi in easdem ansas inci-

DIALOGI.

derunt. IO. Sed errantium multitudo, non facit erro-
ri patrocinium. SEBAL. Ego non manum uerterim
modo nummos mihi uenari possim. IOAN. In Rem-
both, ut audio, hominum genus degenerare uis, quod
pietatem ipsam ne pili quidem faciebat, in cute curan-
da plus equo operans. SEB. Sed ego te itineri ac-
cinctum, distringo, uale igitur, & fausto omine patri-
am adeas, latiore ad nos recurras. IOAN. Et tu in-
terim uale, siq; fortuna tibi benignius arriserit, fac mei
memoria non pectore effluat tuo. SEB. Hac ego te
cura leuo, nam qui possem tam dulcis congerionis nō
meminisse? IOAN. Vale igitur.

BARTHOLOMEVS ET PETRVS

De tempore aestiuali colloquuntur.

Vid ita eiulas o Bartholomee? BAR. Cur nō
Qeuularē uel sanguine, ut dicitur, flerē, scriba domi
est, qui, subide me uirgis cedere, egregius
flagrio, solet, nisi ad satietatem usq; abos illi submini-
strauerim. PE. Ego non huius, illud de sale emptum
manapiū facerem, si abum ad usq; clamando, emendica-
tum, illi ipsi suppeditare deberē. BAR. Nihil graua-
rer, si aestiuum tempus nobis incumberet, sed his hy-
bernis mensibus, mirum est quanto negotio abus emen-
dicandus est. Non raro ad octauae horae signū ad auiū
aedes asidere cogor, ut carunculae portionē prae-ranā-

HEGENDORPHINI

dā extorqueā. PE. Solēt aues alioq̄ pueros suborna
 re qui quotidie certis cantilenis pro foribus cantillant,
 inde pecuniarum messem, uel multo uberrimā demeten
 tes. BAR. Concentores quos uocant, quicqd̄ est pe
 cuniarum, ueluti bolum ē fauibus praeipiunt. Ego
 κόκκυγος in morem eadē cantilena auium aures ene
 care soleo, unde raro triundum lucrifacio. PE. Cur
 non & tu Musiam artem addiscis. BAR. Non ex
 omni ligno fit Mercurius, nō oēs, oibus artibus, appo
 siti sumus. PE. Non tam Apollinis oraculum, q̄ hoc
 uerbum, uerū est, sed tamen solent aues quosdam ado
 lescentes uulgaribus cātilenis subornare. BAR. Quid
 hoc est? Ex una septimana uix semissem reliquam fa
 cio. PE. Sed tamen ad eum modū ^{artibus} increscet ^{artibus} cumulus
 Hesiodius. BAR. Sed scriba nescio quas nugas agit.
 Me secordiorē esse ait, q̄ ut nummulum domum adse
 ram. PE. Si tam suis, ut fertur, moribus homo est,
 cur non illum missum facis? BAR. Tum si abaria do
 mum attulero, non igniculus suppetit, quo realsciam.
 PE. Quanto pretio agere in scholis hyberno tempo
 re datur? BAR. Sex argenteis nummis. Nā cantorē
 ipsi in ipsis diuē Catharinae ferijs, argenteū nummum
 suppediamus, & singulis tribus hebdomadis nummū
 antiquū damus, & nescio q̄ alia à nobis exiguntur. Tū
 annua uectigalia pro diuersorijs dependere cogimur.
 PE. Pro hoium fidem. Mihi nulla pecunia tā inique
 postulari

DIALOGI.

postulari uideatur, quàm quæ pro diuersorijis exigitur.
 Male illi sit, qui hunc censum primus instituit nudo
 uestimenta detrahere uoluit. BARTHO. Emori a-
 tuus uideas quàm ut uel obulum in ea pecunia remit-
 tant. Tam è flamma, sat scio, pecuniam peterent. PE.
 Et uobis olim, lignis uendendis, pecunia impendenda
 erat, sed aues pleriq; nos hac pecunia leuarunt. Vnde
 quotidie canticum quod Salue uocant, in templo deto-
 nare cogimur. BAR. Sed frigore nullo tangimini, ca-
 lidum. n. semp uaporarium est, in quo frigora discaute
 re potestis, & crede mihi in longe meliore uiuis sorte,
 q̄ ego. PET. Verissimum est quod Horatius dixit.
 Optat ephippia bos piger, optat arare caballus, Hoc
 est nemo sua contentus sorte est, semper aliorum sor-
 tem magis admiramur. BAR. Nescis pfecto, nescis,
 quantis negotiorum labyrinthis immergar. Hospes me
 us subinde pro cænum peragere solet, & ad intempe-
 sta usq; noctem, somnũ protraho. Nec uesperu ullius
 libri inspiciendi copia datur. Ceruisia semp afferenda
 est. PET. Et mihi ad octauæ horæ signum uicatis
 aues xxi κατὰ cursitandum est, ut uel lusculum mihi
 parem. Tu aut opiparis quotidie abis, uentriculũ exa-
 ttas. BAR. Mallem ego tenuius uictitare, q̄ abi gra-
 tia studiorum iacturã facere. PE. Qualẽ ego fortunã
 nactus sim, ignoro, nisi ego me olim ex illis fortunæ tu-
 multibus extricaturum sperarem, malis illis æu tempe-

E

HEGENDORPHINI.

state ^{augustinus} afflictus, ^{facile} conaderem. BAR. Has ^{facile} nugas ^{facile} missas
 faciemus. sed scis quid ^{augustinus} crastino die laboris in humeros
 nostros resideat? PE. Quidnā? BAR. Nobis pri-
 ma ^{augustinus} luce ^{augustinus} electo ^{augustinus} surgendum est, ad diuæ uirginis ^{augustinus} sacrifi-
 cium ^{augustinus} canendum. Tum ^{augustinus} cantilene, in Christi natali ^{augustinus} canen-
 de ^{augustinus} non ^{augustinus} parum ^{augustinus} temporis ^{augustinus} exigunt, & ^{augustinus} nescio ^{augustinus} quæ ^{augustinus} alia ^{augustinus} la-
 borum ^{augustinus} illas ^{augustinus} exhaurienda ^{augustinus} est. PE. Dabit ^{augustinus} Deus ^{augustinus} his
 quoq; ^{augustinus} finem, quippiam ^{augustinus} iam ^{augustinus} pietati ^{augustinus} dandum ^{augustinus} est, utut
 enim ^{augustinus} in ^{augustinus} sacris ^{augustinus} sementem ^{augustinus} feceris ^{augustinus} ita ^{augustinus} & ^{augustinus} metes, Christi ^{augustinus} iā
 aduētus ^{augustinus} à ^{augustinus} nobis, ^{augustinus} obuijs, ^{augustinus} ut ^{augustinus} fertur, ^{augustinus} manibus ^{augustinus} expectatur,
 omnibus ^{augustinus} nobis ^{augustinus} elaborandum ^{augustinus} est, quo ^{augustinus} sese ^{augustinus} in ^{augustinus} nostram
 mētem ^{augustinus} per ^{augustinus} gratiæ ^{augustinus} suæ ^{augustinus} charismata ^{augustinus} diffundat. Et ^{augustinus} nobis
 gratiam ^{augustinus} ad ^{augustinus} mensuram ^{augustinus} det, quemadmodum ^{augustinus} olim ^{augustinus} à ^{augustinus} con-
 dōnatore ^{augustinus} non ^{augustinus} indocto ^{augustinus} accepi. BAR. Belle ^{augustinus} narras.
 Quare ^{augustinus} quicquid ^{augustinus} est ^{augustinus} frigoris, ^{augustinus} quicquid ^{augustinus} est ^{augustinus} tediij ^{augustinus} liben-
 ter ^{augustinus} decoquemus. PE. Ego ^{augustinus} quidem ^{augustinus} nullum ^{augustinus} reformi-
 dabo ^{augustinus} laborem. BAR. Quare ^{augustinus} mutuo ^{augustinus} in ^{augustinus} acie ^{augustinus} cer-
 tabimus.

DE EPIPHANIAS FERIIS THOMAS, ET
 SEBASTIANUS confabulantur.

SEBASTIA.

DEus auspiciatum tibi conferat annū. THO. Et
 tibi det omnia alba contingant. SEB. Quid
 uero mihi pro Xenolo uel Strenula mittes? THO.
 Qui tibi mittam, cum nec obulus ad emendos panes
 suppetat quo latrantem stomachum exattem. SEB.

DIALOGI.

Ego uel Calabri hospitis munera, boni consulam.
 THO. Ego arbitror patrē breui aduolaturū, qd' si ad
 uenerit, oīa in portu erunt, & ne a symbolus apud te
 sim, curabo. SEB. Non soleo lubenter spem precō
 emere. THO. Si expectare non uis, praeuētere he-
 brum, potes. Vnde quaeso misit andorū munerū ratio
 apud Christianos radices egit. SE Tute lepus es &
 pulpamentum quæris? THO. Ego, quantū ab alijs
 habeo, referā, arbitror primū illis ^{in oratione} ~~Xenollis~~ hoies sese
 mutua salute impartire, et ueluti ^{gonditua se re aliorum} aggratulari, q' dei be-
 nignitate ^{facit} incolumes, totius anni ^{per unum diem} spacia emensi sunt. Vel
 quod propius uero est, quia illis ferijs tres Magi my-
 sticis ^{in oratione} qbusdam muneribus, Christum regem demeriti
 sunt. Sic Christiani in Christianæ charitatis symboliæ.
 Apophoretis mutuo amicitiam iungunt. SE. Nō a
 ueritate abhorrent, quæ edisseris, sed arcūasionis fe-
 riæ, cur quaeso ab Ecclesia instituta sunt? THO. Non
 in Theologorū harena unq̄ exerātus sum, sed tamen
 quæ ab alijs audiui, recensebo, Circūasionis feriæ pro-
 pterea peraguntur, ut quemadmodū Christus in præ-
 putij carne amputatus est, sic & nos ab affectibus am-
 putemur, excisas ipsarum uoluptatum carnes exan-
 dentes, ne animæ lepram adferant. Ita enim quidam di-
 cebat Hieronymum illum sacrum in lib. de uera arcū-
 asione, disputare. SE. Quandoquidem, in Theolo-
 gorum campo iam congressus es, Epiphania unde no-

HEGENDORPHINI

men pmeruit? THO. Quamq̄ hæc à nostra profes-
sione parerga sunt, & quasi extra oleas, ut dicitur, tamen
quæ à præceptore olim prælegente exæpi, in sinu tuu
effundã è τὸ Φάρις dicta à τὸ τ̄ è τὸ Φανέω, hoc est,
appareo, nēpe quod tūc Christus Magis ipsis, nostra
indutus carne, appuerit. Nec uero magos accipies, Ma-
lesicos quosdã fuisse, ut Augustinus uult, sed sapientiæ
studijs deditos, & syderū cursus peritos ex felicissima
Arabia pdiisse, in qua ex auro & argento uasa, lectos,
Tripodes facere consueuerant, qua de re præceptor no-
ster Picum Franascum in lib. prænotionum adduce-
bat. Iam habes uno, ut dicitur, uerbo, quod à me pe-
tisti. SEBAS. Et iam ad uesperarum precum sacri-
ficiam eundum est, si non plagas lucrifacere uolumus.

DE FESTIS BACCHANALIBVS

PHILIPPVS ET MELCHIOR

colloquuntur. MELCHI.

Festa iam Dionysij appetunt, quo mihi nil gratius
obtingere posset. PHIL. Quid tum? MEL.
Quoniã ad satietatem usq; me oī aborū genere exple-
bo. PHIL. Sed posthac in quadragesimæ tpe forti-
ter esuriturus. MEL. Ut res cadat, satis beatus ui-
deor, si semel atq; iterū uentriculum distendero. PHI.
Quo aut te profers? MEL. Recta ad forū eo, ollas
empturus, in quas uictum capiam. PHI. Emerere so-

D I A L O G I.

^{for 3 frandi}
 les ollas punita, ut opinor fide. MEL. Non nisi ar
 te pelasga, figulos deludere possum, non cesso planum

agere. PHIL. Quid si arripereris. MEL. Pedes
 mihi remedio sunt. PHIL. Præceptor remissionem à stu

dijs, ut audio, ad tres dies dedit. MEL. Si tres addi
 dero nihil, ut spero, damni adferet. PHIL. Ego certe

octo dies mihi ad hæc festa sumam, necessum est, si mo
 do tempori, ut diatur, seruiendū est. MEL. Næ tu

mecum, uehementer sentis sed tamen ita Baccho indul
 gebimus, ne à musarū aris recedere uideamur. PHIL.

Sed heus tu cur nam Baccho has ferias consecrarunt?
 MEL. Næpe qd' his diebus nemo nō Anticyra egeat,

nemo nō insania corripiatur. PHIL. Et Baccho cornua
 cur affingūt? MEL. Quippe qd' olim poalorū uicæ

cornua fuerint. PHIL. Iam satis teneo. Tu uale.

NICOLAUS, ET IOANNES De rerum
 salutatione colloquuntur. IOAN.

^{ferre}
ECquid portas mi Nicolae? NICOL. Cantharū

æruisæ Neupergensis, domino meo ex auuum, ut
 uocant, cellario, affero. IO. Mi Nicolae, perq̄ uelim

formulā quandam æruisæ consecrandæ præscriberes
 Herus meus indies negociū mihi facessit, quod rusticæ

æruisā consecrem. Nec ipse me melius edocere potest.

NICO. Non credis mihi, q̄ egre licet latinum sermo

HEGENDORPHINI

nem, ad uernaculum illum accommodare, sed tamen quantum ex meo præceptore audiui, in sinum tuum effundam. Cum ergo ceruisiam consecrare uis, dicere potes. Ceruisia uobis saluti sit. Ceruisia uobis commoda sit. Ceruisiam Deus sua bonitate consecret, ne quid noxij uobis ingeratur. IO. Iam rem teneo, qua aut ratione ab aliquo salutatus, respondere soles? NIC. Si salutor, salue mi amice, respondere soleo, & tu identidem salue. Cum salutor saluus sis, respondeo & tu saluus sis. IO. Bene se res habet, omnia teneo, sed cum mane aliquem accedis, qua salutatione cum dignari soles. NICOL. Dicere soleo. Bonum mane. Bona dies. cum in meridie aliquem adeo, dicere solitus sum, plurimum salue, uel saluete, salua sit tua humanitas præceptor mi amantissime. Cum uero ab eo, dicere in more habeo: Viue & uale, uel uiuat & ualeat faustiter, tua uel uestra humanitas. IOAN. Sed quo quæso modo efferre uelis, bibite bonum Ioannis. NICOL. Haud scio an oratio latina, ad id genus locutiones uernaculas aspirare possit, dicere tamen uellem bibite postremo nobiscum, bibite nobiscum nomine Ioannis, nam ne ullus quidem fons in itinere occurrat. IOAN. Bene se res habet, gratias tibi habeo, aliquando curabo ne a symbolis apud te sim. Sed heus tu, unus est scrupulus, qui me non raro male habet. Cum somnum capere uis, qua quæso salutatione abire soles. NICOL. Dicere soleo. Ego

D I A L O G I.

Somnum capescere uolo, uos quoq; quando lubitum est, quieti uos tradite. Vel alio orationis habitu effere potes. Deus uobis omnibus noctem tranquillam impertiat. uel quiescite feliciater, quietem capite suauiter.

IOAN. Omnia in portu sunt, iam uale feliciater.

NICOL. Et tu uale.

BARTHOLOMEVS, ET MATTHAEVS

De uarijs rebus colloquuntur.

MAT.

Prosint tibi balneæ mi Bartholomee. BAR. Et tibi omnia prosint. MAT. Balneæ ut tibi arri-
dent? BAR. Si mihi adeo arriisissent, diutius inibi mo-
ram nexuissem. MAT. Scis quid rerum nouarum
Africa apud me produxerit? BAR. Modo omnia
dextera sint, noua non illubenter audio. MAT. Et
ludus literarius tibi scopis uerrendus est. BAR. Dij
boni, an ne hoc nouū, hoc negocij mihi datum esse nō
clam me fuit. MAT. Scopas ubi compares nostim?
BAR. Apud famulū furnarium. MAT. Aliud aut
audire uis? BAR. Si tā bullatas nugas expromere
uis, taceas malim. Miror q tam hyberijs nugis nos one-
rare possis. MAT. Putabā me uelle tibi timorē inca-
tere, si rem paulo atrocius adornarē. BAR. Quid re-
rū est, edissere πύσσα λεπτολογεῖν, ut græcè dicā.
MAT. Cubiculum nostrum quoq; tibi scopis expur-

E iij

HEGENDORPHINI

gandū est, sordes ad carnificiā exportes, necessum est
 tenui potu mendicando occuperis oportet. Et nescio q̄
 alia laborum ilias tibi hodie exhaurienda est. BAR.
 Ecquæ malū infelicitas est. Miror hodie tantā laborū
 sarcinā in humeros residere, p̄ integrā hebdomadam
 uel Epicureo deo oōsior fui, & hodie nihil non labo-
 rum mihi obeundū est. MAT. Εὐφίμη δὲ τὴν τύχην
 τῆς οὐσίας σου, hoc est bona uerba queso, & for-
 tunā presentē boni consule. BAR. Ecquid incōmodi
 tibi accrescere posset, si me mutua opa iuuares, & meā
 operā in rebus tuis sedulo expturus? MAT. Quid
 ni? mori tecū uellē, tantū abest, ut nō hac in re auxilia
 res porrigā manus. BAR. Sed hinc abeundi tēpus
 Tantū nō uide post festū, ut diatur, appropremus.
 MAT. Quid uix secundæ horæ signum tactum est.
 BAR. Si adhuc tā maturo est, domū abibo, ius quod
 heri uesperis reliqui seā, uentriculo donabo. Tandem
 tua opera adiutus, dicto citius quicquid est laboris expe-
 diam. MAT. Tu modo iam ne diu moras necte.

MARCUS, ET PETRVS

De eleemosynis colloquuntur.

MARCUS.

VT uales Petre? PE. Maceratā uiuo uitam, sed
 tamē incolumē & inconcussam. MAR. Quot
 eleemosynas hodie emendicatus es? PE. Vix unam

DIALOGI.

aut alteram. Nam nescio quo pacto aues oēs fame con-
 tabescere uolunt. MAR. Non calles audio, qua uia
 eleemosynarum uindemiam facere possis. Non oportet
 statim à foribus pedem moueas, si importunius tibi
 obgannierint, urgendi sunt, & si crebro iacias, Venerē
 iacies, ut in prouerbio est. PE. Quid? Non raro
 me lapidibus minantur, nisi è lumine discessero. MAR.
 Iocantur tecum, ego perstarem, uisurus quorsum res
 abiret. PE. Ego posthac me tibi comitem in emendi-
 cando pane adiungam, Alioqui ante diem, sat scio, fame
 mortem oppetam, necessum est. MAR. Quid nū?
 Ego omnibus machinis, tuæ paupertatulae obuiam ire
 uolo. Num uides quo pacto soleam mulieres illas ca-
 dauerosas à foribus arcerē, & solus præda inhiare.
 PE. Bene se res habet, Non ullus me à latere tuo ar-
 cebit, Iam autem uale.

IOSEPHVS, ET GEORGIVS

De ratione studendi colloquuntur.

IOSEPH.

Salue plurimum mi Georgi. GEOR. Et tu salute,
 quo te profers? IOSEP. A præceptore domum
 eo. GEOR. Sub quo tu præceptore stipendia litera-
 rum facis? IOSEP. Sub homine non uulgariter do-
 cto. GEOR. Quamã ipse in te erudicendo uia utitur?

E V

HEGENDORPHINI

IOSEP. Sub tempus antelucanum & græcæ & latinæ declinatione exercet. Et logicis quoq; ἀπὸ Λείξεσ me instruit quomodo argumentorum panopliam comparare possim. Nugas quasdam tenues ad Macariam ut dicitur, mittit. Nam plerosq; refert eam tradere logicam quam priusquam addiscamus obliuio quædam obrepat, quemadmodum de Strepfiade Comicus quidam scripsit. GEOR. O te felicem cui talis obtigit præceptor. IOSEP. Tum tempore Pomeridiano Grammaticam PHILIPPI Melanchthonis iuuenis, ut ego audio, in utraq; lingua ex æquo suspicendi, prælegit, subinde electas authorum græcorū sententiolas, & Chrias quasdam ueluti Coronides adiungens, quibus uelut melle prælito præceptionum absynthium edulat. GEOR. Ni planè lapis sis, doctus euidas oportet. IOSEP. Tum quo cum literis literatis Christum ipsum imbibamus Erasmi Roterodami Enchiridion prælegit, ex quo ueram pietatem cum eloquentia condiscere possumus. GEOR. Et quis non sub tali præceptore saperet. IOSEP. Tum subinde me thematis exercere solet, Thema quoddam exponens & tractandi ductum præscribens, non raro declamationibus me exercet, breuiter mihi explicans, quæ in proœmio conaliandi ratio quæ narrandi lux, quanta in diuidendo prudentia habenda sit, quàm subtilis & crebra argumentatio, quibus uiribus inspiret, & ut

D I A L O G I.

*summatim dicam, quicquid ad orationis artificium
 requiri solet. GEOR. En ista tua oratione in alic-
 num, ut dicitur, mundum tralatus uideor. Tam noua
 instituendi ratio mihi occurrit. Chamaleonta, ut au-
 dio, agit præceptor tuus. IOSEP. *ἄλλομονὴ πᾶν*
των ut Comicus quidam dixit. Quapropter uarijs
 rebus animum exercere solet, ne eadem per eadem au-
 diendo, retundatur. Quis enim ferat præceptorem non
 nisi cupressum simulantem? GEOR. Quibus ergo
 alijs rebus uacare cogaris? IO. Subinde et græca et
 Romanæ epistolæ mihi conscribendæ sunt. Indies ali-
 quid in memoriam reponendum, ne memoriæ thesau-
 rus negligatur. GEOR. Hoc ipso, ut dicitur, tempo-
 ris puncto à meo præceptore desiscam, atque in tuam
 scholam, cœu literarum militiam nomen dabo. IO-
 SEP. Sat scio, intra unius anni spaciū, plus pro-
 mouebere, quàm si alioqui in alijs *φροντιστηρίοις*
 ad sex aut amplius annos computrescas, pleriq; enim
 præceptores multo indoctiores discipulos reddere so-
 lent, quàm acceperunt. GEOR. Tuo consilio ni-
 hil mihi prius erit, posthac ego maiore beneuolentia
 te mihi obstringam, quàm hactenus deuinxī. Non pu-
 tauī enim te adolescentem esse tam raro ingenio.
 IOSEPH. Quo sim ingenio, nescio, hoc certe
 de me polliceri ausim, me non obscure uidere posse,
 quid distent æra lupinis. Et quàm Corydus in alia*

HEGENDORPHINI

rum auum numero rustice obstrepat. Tu modo ne animum ad desperationem conuerte. Commodius poteris initio mederi, quam fini. Aetas iuuenilis in quencunq; habitum sequax est. Aetas uero decrepita, mirum est quam intractabilis sit, quam saluam illam primam, quam olim imbibit, semper reddat. Vnde Parcemiacos est sermo, senis mutare linguam difficile est, & quia senex est Psittacus ferulam negligit. GEOR. Tu Pol puer es praecoxa sapientia. Catonem aliquem iam me audire putauit, non Adonidem quendam puerum. IOSEP. πούσα λέγων ut graecae tecum loquar, quod animo tuo desauisti, non in hyberbetea, usq; profer. GEOR. Iam eo. Tu interim Vale.

GASPAR, ET BALTHASAR De repetendis lectionibus confabulantur. BALTHASAR

ECquid agis Gaspar? GAS. Qua uia lectionibus iam repetendis, uteris? BALTHA. Primo solitus sum uulgarem accommodare rationem, tum ad grammaticae cotiulam omnia exigere, inuentionis acumen expendere, omnium uocularum situm subducta ratione ad calculum uocare. Tandem si quod noue uel priscae dictum occurrerit, in nudos ad id paratos conuehere, si quae παρομιία, si quae sententia insignis,

DIALOGI.

stellis, ut dicitur, notare soleo. Et ea quæ insigniora uidentur, in memoriæ thesaurum deponere, subinde à lectione surgens, & animo meo utamq; uolens, quæ legi. Nec deest Enchiridion, in quod quicquid est illarum opum, æu promptuariū, repono. Et ea uia utendum est $\tau\omicron\varsigma \epsilon\iota\varsigma \alpha\phi\epsilon\nu\omicron\upsilon\pi \alpha\pi\epsilon\upsilon\delta\delta\upsilon\tau\iota$, id est properanti his ditescere opibus. GAS. Næ ego homo sum, uel Morycho stultior, qui talium rerum omnem curam abieci, alia super alia legens. Nec animum aduertit, quàm omnem operam luderem. Sed uerissimum illud in meipso experior, qui semper domi ueluti in umbra sese continet nec in hominum frequentiam progreditur, puerum animum agere. Non raro demuratus sum, me ne pilo quidem doctiorem euadere, nullum omnino progressum in me experiri. Et iam ueluti Epimetheus ille post factum prudentiam solidiorum sumo. BAL. Nihil omnino posthabitu est, Tanto gnauius in literas bonas incumbe, quanto ferius eas uere adamare cœpisti, imitare uiatores ipsos qui dum mane in diem usq; somnum protraxerunt, quàm possunt celerrime iter carpunt, tarditatem celeritate resarcientes. Et plerunq; citius eò, quò uolunt, pertingunt, quàm illi, qui prima luce iter ingressi sunt. GAS. Non ignoro nullam ad discendum seram ætatem esse, Sed tamen istud tuum studium, ego in lucro ponerem. BAL. Serere ne dubita, non paruas

HEGENDORPHINI

in literis prouentus tibi proueniet. GASP AR.
Faciam ut iubes, nihil non acturus, quo te aut æquem,
aut superem.

VVENCESLAUS, ET HERMANNVS
De coëmendis libris colloquuntur.

VVENCESLAUS.

Q Vos tu putas, libros mihi parem? HER. Ci
æronis uelim libros, & Terentij Comœdias
coemes, ex illis enim solidam eloquen-
tiam haurire posses. VVEN. Qui hoc fit. Ego
non satis intelligo. HER. Paucis, aduerte, doce-
bo. Cæronis oratio & elegans & pura est, Teren-
tius purus, tersus, quotidiano nostro sermoni proxi-
mus, & haud são, an àtra balbutiem, quicquid in lin-
guam uenerit, garrere possis, nisi Terentij comœdias
in manibus triueris. Nec uero meopte Marte hæc di-
co. Præceptoris mei iudicium est, quod ego hætenus
non infrugiferum expertus sum. VVEN. Et iam
Bibliopolam accedam, illos libros coempturus.
HERMAN. Exemplaria Terentij uaria sunt. Mel-
chior Lottherus, Chalcographus i Lipsia primi nomi-
nis, Terentium typis excusit unà cum præfatione Phi-
lippi Melanchthonis, iuuenis præter ætatem eruditi.

D I A L O G I.

Et Frobenius Chalcographus in optimis quibusque libris imprimendis, diligentissimus, in paruas paginas Terentium congesit. Tu eme exemplar, quodcumque collubitum est. Ciceronis autem exemplaria apud Valentinum Schumanum siue græce appellare mauius Hypodimandrum Chalcographum in Lipsia operæ infatigibilis, reperies.

VVEN. Sat habeo.

Tu uale.

F
I N I
S

HAGANOAE APVD THOMAM

Anshelmum Badensem, In uigilia sancti
Thomæ. Anno salutis humanæ.

M. D. XXII.

D I A B O G I

In hoc libro continetur descriptio
quorundam locorum, quibusdamque
paginarum, quibusdamque
quorundam collectionum etc. Ceterum
capitulum quoddam de
in gratia appellatione
sunt Chalcidicae et
opere quodammodo
V. M. de hinc.

Tabula

1
1
2

HAGANORAE APUD THOMAM
Anthonium B. in
Thomae. Anno
M. D. LXXII.



46 ¹⁹/₁₂

X 1983714



450-50

PAE

GIA PE
Protege

DI

DI

PVERIL
Hegen

